UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Syntagma Ivris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||

**Grégoire, Pierre**

**Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.**

**VD16 VD16 G 2999**

Liber XLI. De Successionibus conuentionalibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-97739

Visual Library

magis neceſſaria vocaret: ſed tribus tantum contentus ero. Quarum prior, ex rebus ipſis firmamentum habet: altera, ex perſonis: poſtrema, ex negotiorum vtilitate. Ad rerum igitur primo neceſſitatem & conſeruationem pertinet vſucapio. Futurum enim eſt, ſi res a dominis contẽnantur, nullo audente illas colere, metu ne euincantur perpetuo, vt ſordeſcant, & prorſus ſteriles reddantur, dumis & ſentibus obſitæ, carie vel rubigine exeſæ, *l. cum notiſſimi, de præſcr. 30. vel* 40 *ann. Auth. agricultores, quæ res pign. obli. poſſ. C. Theoph. in* §. 1. *de vſuca.*

*Fertilis aſſiduo ſi non renouetur aratro,*
*Nil niſi cum ſpinis gramen habebit ager. Ouid. 5. de Triſtib.*

Et Horatius *Serm. 1. ſat. 3.* tantum,

*Neglectis vrenda filix innaſcitur agris.*

Vnde inducta dicitur vſucapio bono publico, ne dominia rerum
2 ſub incerto ſint, *l. 1. de vſuc. P.* ¶ Secunda ratio perſonas reſpicit, vt metu, ne rebus ſuis priuentur domini negligentes, cogantur rebus ſuis animum intendere, & ex ſegnitie ad laborem optimo exemplo diligentiorum prouocentur, & ad propriam naturam reuocentur: cum hominibus lex conſtituta, *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, Geneſ. 3. ca.* Et fertur quidam Epheſinus legislator, legem vſucapionis tuliſſe ea ſola ratione, *ad euitandam miſerorum ſegnitiem, c. vigilanti, de præſc.* Quemadmodum & Iuſtinianus alia propemodum ſimili firmat, vt ſit differentia inter deſides, & diligentes, *l. vt perfectius, C. de annal. except.* Et Solon etiam, in negligentes & ſegnes mulctam & pœnam conſtituit, auctore Plutarcho *in Solon.* Et Gellius refert *lib. 4. c. 12.* apud Romanos quoque cenſoria nota punitos, qui indiligenter agros ſuos coluiſſent, & paſſi fuiſſent vineas ſuas ſordeſcere. Fertur tritum illud, diligentibus non negligentibus iura ſubuenire, *l. pupillus, quæ in frau. cre-*
3 *dit. P.* ¶ Tertia † pertinet ad minuenda negotia, ad lites & controuerſias ſopiendas, pene immortales, ſi liceret poſt longũ aut longiſſimum tempus res repetere ab aliis bona fide excultas. Ita, & vt ſit litium finis, approbata eſt, *l. ſi. pro ſuo, in P. l. 2. de aqua plu. arc.* Vocat ideo vſucapionem Cicero, finem ſolicitudinis, *Cic. pro Cæcin.* Nam lite carere, certe pars beatæ vitæ mortalis eſt: ſi credamus Martiali, *lib. 10. Epig. epig.* 47. dum ait,

*Vitam quæ faciunt beatiorem,*
*Iucundiſſime Martialis, hæc ſunt:*
*Res non parta labore, ſed relicta:*
*Non ingratus ager, focus perennis,*
*Lis nunquam, toga rara, mens quieta,* &c.

Neq; vſucapio ſola, ſed alia pleraque minuendarum litium cauſſa introducta ſunt, etiam contra ſtrictam diſputandi rationem, vt tranſactio, *l. fratris, de tranſ. C.* Heremodicium, *l. properandum, C. de iudic.* & alia plura, §. *item verborum, de inutil. ſtipul. clem. diſpendioſam, de iud. c. finem litibus, de dolo & contum.* Eſt enim principalis cura & fines legislatorum, lites minuere vel exſtinguere, *l. 1. de nouo Cod. fac. C.* §. *1. de pœna tem. litig.* ¶ Quibus † ductus non poſ- 4
ſum probare eorum ſententiam, qui putant contra naturam vſucapiones introductas eſſe: parũ enim mihi videntur officere duæ rationes in eas coniectæ, quarum prima, Naturalia ſunt immutabilia iure ciuili, §. *ſed naturalia, de iure nat. l. eas de c. diminut. P.* §. *fi. de legit. agnat. tut. l. 2.* §. *fi. de vſufr. ear. rer. quæ vſu conſu. P.* at dominia ſunt de iure gentium, inquiunt, *l. 1. de acq. poſſ. l. ex hoc iure, de inſtit. & iur.* Ergo auferri non poſſunt dominis per vſucapiones, quæ iuris ciuilis ſunt. Altera ratio eſt, quod iure naturæ æquum non ſit, cum alterius damno locupletari, *l. nam hoc natura, de condit. indeb. P. l. iure naturæ, de reg. iur. P. c. locupletari, eo. in 6.* Etenim prior argumentatio ſic tollitur. Et quod falſum ſit dominia eſſe iuris naturalis. Nam iure naturæ omnia communia, & iure ciuili hoc tuum, hoc meum, *c. quo iure, 8. diſt.* veruntamen nihilominus iure gentium ex conſenſu videlicet gentium diſtributa dominia. Sed eadem ratione, qua iure gentium viſa eſt iuſta diſtributio dominiorum, eadem viſa æquiſſima eſt conſeruatio & translatio ab vno in alium. Alioquin fruſtra de contractibus trãslatitiis dominii diſputaremus. qui & iuriſgentium dicuntur, *l. iuriſgentium, de pact. l. ex hoc iure, de iuſt. & iur.* Adde nihil tam æquum eſſe natura, quam voluntatem domini in alium rem ſuam transferre volentis, ratam haberi, §. *per traditionem, de rer. diuiſ.* qui autem rem ſuam patitur vſucapi, alienare ſponte videtur, *l. alienationis, de ver. ſig.* Sed non poteſt, inquies, alienatam & vſucaptam repetere, verum, nec ideo tamen damnanda vſucapio: cum non liceat pœnitere, nec in aliis modis transferendi dominii. Locupletari autem cum alterius iactura vſucapientem, negamus: nam & primũ rem pro derelicto habuiſſe videtur, qui tandiu paſſus eſt rem ſuam ab alio poſſideri, & res rediiſſe in priſtinam communitatem videtur, vt poſſit eſſe tanquam nullius prius occupantis, vt ante diximus, *c. 1. de titul.* in titulo pro derelicto. Et indignus eſt priuilegio dominii, qui eo abutitur, *c. priuilegium, 11. q. 3. ca. tuarum, de priuileg.* Neque quiſquam ſani iudicii reſponderit, pœnam delinquentibus impoſitam, dici debere læſionem: quia ea qui punitur, melior redditur, *l. ſi pœna. 20. de pœn. in P. l. 1. C. ad leg. Iul. repet.* & eius exemplo plures, *l. capitalium, 28.* §. *famoſos, de pœn. in P.* Docuimus autem alibi, ſegnes, otioſos, & res ſuas contemnentes, pœna dignos, *in criminibus extraord.* Neq; iuſtior poſſet eſſe pœna, quam vt per rerum ademtionem, in quibus quis peccauit, plectatur, *Sapien. 11. l. ſi fugitiui, 3. C. de pœn.* dignique inſuper improbi, qui & ſuis priuentur, & fame pereant, *l. bona fides, depoſ. P.* Eſſent & ſimiles negligentes cani olitoris, qui nec caules comedit, nec ſinit alios comedere: & hi neque colerent res, nec ſinerent, aliorum cum maxima iactura, colere diligentes.

# DE SVCCESSIONIBVS CONVENTIONALIBVS, LIB. XLI.

## De ſucceſſionibus & hereditate in vniuerſum. Cap. I.

1 *Libri 41. ad ſuperiores continuatio.*
2 *Voluntatis vltimæ fauor & effectus.*
3 *Teſtamenta impleri debent & principali & pontificali auctoritate.*
4 *Teſtamentum iuris publici, & lex firmiſſima, voluntas vltima.*
5 *Succeſſor & ſucceſſio quid. Item heres quis dicatur, & vnde.*
6 *Succeſſio quomodo defertur heredibus.*
7 *Succeſſionum ex voluntate morientium quatuor ſpecies, ex contractu, epiſtola, teſtamento, codicillis.*
8 *Inteſtati ſucceſſio ex præſumta defuncti voluntate defertur.*
9 *Heredes habere mortuos, quare illorum intereſt.*
10 *Hereditatis diuiſio in teſtamentariam, legitimam, & honorariam.*
11 *Hereditatis finitio, & num plus ius, quam res reſpiciat.*
12 *Hereditas ſucceſſio mortui, non viuentis.*
13 *Heredis appellatio latiſſima, & bonorum poſſeſſor quando dictus heres.*

DE negotiis, † quæ inter ſe gerunt homines viuen- 1
tes, & quæ pendente illorum vita ſortiuntur effectum & robur, ſuperioribus iſtius tertiæ partis Syntagmatis libris dictum eſſe abunde videtur. Nunc dicendum eſt de negotiis, quæ poſt mortem ex voluntate mortuorum in iure celebrem & difficilem plerumque habent quæſtionem. Tanta enim eſt immortalis animæ in mortali corpore dignitas, vt poſt corporis interitum proroget imperium, & reliquias cogitationum relinquat. *Nihil eſt,* vt ait Conſtantinus Cæſar, *l. 1. C. de ſacroſ. eccleſ. quod magis hominibus debeatur, quam vt ſupremæ voluntatis, poſtquam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium.* ¶ Volun-
tas † tamen ex eo tempore pendet, quo anima corpori iuncta eſt: 2
ſed effectus ad tempus, quo ſoluitur illa coniunctio, differtur, *l. 1. de teſtam. in P.* Et quia ſatis inhumanum eſt viſum, viuos quidem ſuam totam familiam a ſe alienare poſſe, morientibus autem adimere huiuſmodi licẽtiam: relicta eadem morituris poteſtas, quæ victuris permiſſa, §. *fin. de lege Fuſ. Cani. toll. apud Iuſtinian.* Et lege 12. tab. cautum, *Cic. 2. de inuen. l. verbis legis, de verb. ſig. l. 1. ad l. Falc. lib. 35. P. tit. 2. Paterfa. vti ſuper familia pecuniave ſua legaſſit, ita ius eſto.* Alioquin vt dicebat Plat. *10. de legi. Horrẽda res, ſi mea mihi non licebit*

*licebit cuicunque volo dare, dum morior.* Leges ciuiles quoque vo-
luntates has impleri ſatagunt: vt ipſe Auguſtus de Virgilii volun-
tate teſtatur,

*Legibus aſt ſeruanda fides, ſuprema voluntas.*

*Quod mandat fieriq; iubet, parere neceſſe eſt. idem in ca. illud,*
*13.q.2.l.ſi.§.ſi.de fideic.*

3 ¶ † Et meminit Plinius *li.7.c.30.* Et Papinianus, *l hereditas, 53. de*
*petitio hered. Quamuis,* inquit, *ſtricto iure, nulla teneantur actione*
*ad monumentum faciendum, tamen principali aut pontificiali aucto-*
*ritate compelluntur ad obſequium ſupremæ voluntatis.* Et heres, qui
iudicium defuncti poſt annum a iudice monitus non implet, o-
mni lucro hereditatis exuitur, *§.ſi quis vero non imple. de hered. &*
*falc. in authen. auth. hoc amplius C. de fideic.* Et in piis cauſſis exſe-
cutio teſtamentorum poſt annum ad epiſcopum deuoluitur, *ca.*
*nos quidem, c. tua nobis, de teſta. §. ſi quis ædificatione, de eccl. ti. in au-*
*then. collat. 9.* In aliis, per ius canonicum, pontifex interdicit here-
di contemnenti implere voluntatem morientis fructus & alia e-
molumenta hereditatis percipere, ex auctoritate concilii Magũ-
tini, *c. ſi heredes. de teſta.* Eadem enim ratione qua iuſtum viſum eſt
morientibus ſuarum rerum diſpoſitionem componere, & viſum
eſt iuſtum vt rata de his haberetur horum voluntas. *Periret enim*
*alioquin,* vt ait Seneca, 3 *Declama. teſtamentorum auctoritas, ſi viui*
*negligerent imperia mortuorum.* Et ita ſublatæ leges, quæ volunta-
tes morientium, ne ad effectum perducerentur, impediebant, *l.1.*
4 *de his quæ pœnæ nomi. in teſt. vel in codic. relin. li.6. C. tit. 41.* ¶ † Et
iuſtam cauſſam manifeſtæ offenſę commiſiſſe reſcriptum eſt eos,
qui mariti teſtamenti factionem interdixiſſent, *l. teſtamenti, 23. de*
*inoffic. teſta. C.* Publici iuris teſtamentum dicitur, *l.3. de teſta.* volũ-
tas vltima, lex, *§. diſponat, de nup. in aut. In publicis actibus nihil lege*
*publica grauius,* vt tradit Cicero, *Philip. 2. in priuatis, nihil firmius*
*teſtamento.* Et publice intereſſe reſponſum ſuprema hominum
iudicia ſortiri effectum, *l. vel negare, quemad. teſta. aper.* Pręcipuũ,
quod in hac voluntatis vltimæ cauſſa agitur, eſt electio vnius vel
plurium ex viuentibus, qui in locum deficientis ſubrogentur, &
vt ſubrogati quæ placuerint morituris faciant.

5 ¶ † Et proinde negotia, quæ hic tractantur, ſingulari nomine
ſucceſſionis vniuerſalis dicuntur, & qui locum defuncti tenent,
ſucceſſores: & ſignificantius, hereditaria ſucceſſio, & ſucceſſores
heredes. Heres ſecundum aliquos, dicitur ab hero, id eſt, domino,
*l. item Mela, & ibi gl. ad leg. Aquil.* Et proculdubio etiam verũ eſt,
ſucceſſorem heredem dominum dictum a Pomponio Iuriſcon-
ſulto, *l. ob id, 44. eod.* nam heredibus inſtitutis, dominium ad illos
ſi velint, tranſit, *l. cum heredes, 23. de acquir. poſſ.* Et pro herede ſe
gerere nihil aliud, quam pro domino ſe habere, *ti. pro her.* veteres
enim heredes pro dominis appellabant, *§. item extraneus, §. fin. de*
*hered. qual. & differ. l. quædam ſunt, 62. de acqu. rer. dom.* Sic Feſtus
Pompeius, *de verb. ſign. heres apud antiquos, pro domino ponebatur.*
Aliis placuit heredem declinari ab hæreo, quod rebus defuncti
inhæreat, & locum defuncti teneat: & heres, & hereditas repræ-
ſentent defunctum, *l hereditas, de acquir. rer. dom. P.* Alii ab ære,
quod hereditas ſit pecunia defuncti, quæ ad nos peruenit. Nec a-
lienum a vero erit, inclinare nomen ab αἱρέω, ἥρω, ηκω: quod eſt,
occupo, adipiſcor, & capio. Palam enim eſt, heredem non dici ve-
re, niſi poſt aditam vel nactam hereditatẽ, *l. pro herede, 20. de acq.*
*hered. l ſi ex re domini, 28. § fin. de ſtipul. ſeruor. P. Iul. Paul. lib. 4.*
*Recep. ſent. tit. 8. §. 6.* quanquam aditione facta, retro trahatur effe-
ctus ad tempus mortis teſtatoris, *l. heres quandoque 54. de acq. her.*
*P. l. omnia fere iura, 154. & l. omnis hereditas, 181. de reg. iur P.* Ego
non valde in his moror. Quamuis enim prior & poſterior ſentẽ-
tia repugnent orthographiæ heredis, cũ in priore nõ ſit diphthõ-
gus, in poſtrema deficiat h. tamen opinor ad ſubſtantiam heredis
& hereditatis, omnes accedere: & ita non eſſe diſputandum per-
6 peram de nominum declinatione. ¶ † Succeſſio porro heredita-
ria defertur heredibus, vel voluntate teſtificata ſeu teſtatione cõ-
ſtante, & ex expreſſa & probata voluntate defuncti, vel ſine teſta-
7 tione ex voluntate præſumta decedentium. ¶ † Ex expreſſa & te-
ſtata voluntate decedentium, pendent quatuor ſuccedendi in lo-
cum defuncti formulæ, vel ex contractu, vel ex epiſtola, vel ex te-
8 ſtamento, vel ex codicillis. ¶ † Ex præſumta voluntate, illa quæ ab
inteſtato dicitur, cum lex in ſubſidium voluntatis non expreſſæ,
mortuorum bona ad eos defert proximos, ordine & gradu, quos
magis præſumit a præmortuo dilectos. Et ita eos heredes in fa-
9 uorum defunctorum facit. ¶ † Intereſt enim eorum, heredes ha-
bere, *l. & quia defunctorum, de interrog. act. li. 11. P. titu. 1.* vt ſint cũ
quibus poſſint congredi creditores eorum, & qui poſſint prohi-
bere ne bona temere ab illis occupentur *Vlp. l. 1. de ſucceſſ. edic. li.*
*38. P. tit. 10.* & ne iniuria afficiantur. Ad iniuriam enim pertinere
viſum fuit, ſine herede deceſſiſſe, & bona debiti cauſſa publicari,
*§. licet autem domino, cum ſuis verſ. quib. ex cauſ. manu. non lic. apud*
*Iuſtinia.* Cum dubium non ſit, iniuriam quoque ad tempus poſt
mortem extendi poſſe: & famam lædi poſſe eorum, minui & no-
tari, *l. ex iudiciorum, de accuſation. l. cum hic ſtatus, §. ſi maritus, in 2.*
*de donat. int. vir. & vx.* Et relatum eſt ab Ariſtotele, *10. Ethicor. ad*
*Nico.* res viuẽtium & famam ad defunctos peruenire: vt Iuſtinia-
nus ratus eſt, animam defuncti contriſtari ex periurio coniugis,
*§. nos igitur videntes, de nupt. colla.* Iniuria porro exiſtimatur infa-
mis, bona defuncti veluti vacantia publicari, vel in ſolutum dari:
quod fieri nequeat, quin ea publice proſcribantur & vendantur.
*Cuius,* inquit Cicero, *pro P. Quintio, bona ex edicto poſſidentur, hu-*
*ius omnis fama & exiſtimatio cum bonis ſimul poſſidetur, de quo li-*
*belli in celeberrimis locis conſtituuntur, &c.* ¶ † Vlpianus, *in l. qui au-* 10
*tem, §. 1. quæ in fraud. cred. l. 1. in fine, de ſec. nupt. C.* diuidit in tres ſpe-
cies hereditatem, & ita ſucceſſionem triplicem facit, teſtamenta-
riam, legitimam, honorariam: quia defertur ſucceſſio, vel ex vi te-
ſtamenti, vel a lege ſola, *in l. ſtatuliberi, 29. §. 1. de ſta. li. P. l. 1. de peti.*
*her. P.* vel auctoritate prætoris, quæ etiam honoraria dicitur. De
quibus ordine nobis dicendum poſtea. ¶ † *Hereditas porro,* quæ 11
tractatur in omnibus, *eſt ſucceſſio in vniuerſum ius quod defunctus*
*habuit tempore mortis, l. hereditas, 63. de reg. iur. in P. l. nihil aliud,*
*24. de ver. ſign. P.* ius maxime in ſucceſſione potius, quam res ipſę
hereditariæ conſiderantur, *l. 1. §. incorporales, de rer. diuiſ. §. incor-*
*porales, de reb. corpo. vel incorp.* & Pomponius *leg. hereditatis appel-*
*latio. 119. de verb. ſig. Hereditatis appellatio ſine dubio continet etiam*
*damnoſam hereditatem: Iuris enim nomen eſt, ſicuti bonorum poſſeſ-*
*ſio.* Et Vlpian. *l. quoties, 9. § heredes, de hered. inſtit. P. l. quædam, 9. §.*
*nihil, de eden. P. Iuris ſucceſſores ſunt heredes, & ſi plures inſtituantur,*
*diuidi a teſtatore ius inter eos oportet: quod ſi non fiat, omnes æqua-*
*liter heredes ſunt.* In quo & ſucceſſio a contractu differt, quod cõ-
tractus facti ſit, & res non tranſeat ſine traditione in contrahen-
tem, *l. conſilio, de cur. fur. l. quoties, 15. C. de rei vindic.* Eſtq; heredi-
tatis vniuerſitatis ius, non rerum ſingularum, *l. 1. Cod. de euictio.*
¶ † Proinde quamuis plures heredes inſtituti ſint, pro parte res 12
tamen, habita ratione hereditatis, petere non poſſunt, ſed partem
pro indiuiſo: quanquam poſtea iudicio familiæ erciſcundæ a cõ-
munione poſſint diſcedere, *l. non poſſumus, ſi pars here. pet. P.* Mo-
net & non conſiderari tantum corpora hereditatis, quantum ius:
quod, quamuis corpora in ſucceſſione non ſint, tamen hereditas
dicitur, *l. hereditas, de pet. her. P.* Hinc fit, vt certæ rei heres inſtitu-
tus, ſi alius heres ei non coniungatur, omnium bonorum here-
ditatem obtineat, *Papi. l. coheredi, 41. §. fin. de vulg. P. l. 1. §. ſi ex fun-*
*do, l. ſi quis ita, 74. de her. inſti. P.* ¶ † Ceterum, verba illa finitionis, 13
*quod defunctus habuit tempore mortis,* indicant hereditatem eſſe
ſucceſſionem in locum mortui, nec viuentis vllam dici heredita-
tem, *l. 1. pro her. P. l. 1. de hered. vel act. vend. l. neminem, l. qui ſuperſti-*
*tis, de acq. her. P.* Et quamuis aditione hereditatis confundi vide-
antur bona defuncti, & patrimoniũ heredis, *l. debitori, C. de pact.*
& tunc ex hereditate fiat proprium patrimonium ſucceſſoris, *l.*
*ſed ſi plures, § filio, de vulg. P.* tamen & ratione præteriti temporis,
hereditatem appellamus. Sicuti & inſula dicitur etiam ea, quæ
nunc non eſt, ſed fuit aliquando, *l. inſula, de acq. rer. dom.* Semper
tamẽ ſucceſſores eiuſdem iuris ſunt in bonis defuncti, cuius erat
defunctus cum viueret: nec plus nec minus quam ipſe haberet in
heredem transfunditur, *l. heredem, l. qui in ius, & l. quod ipſis, l. pri-*
*uilegia, l. nemo plus iuris, l. nemo plus commodi, de reg. iur. P.* Et hæc
pertinent ad quoſcunq; gradus ſucceſſorum, & ad omnes ſpecies
heredum: heredes enim omnes dicuntur, ſiue ab inteſtato ſucce-
dant, *nam & illi heredes dicuntur, & hereditas illorum ſucceſſio, tit.*
*de her. ab int. veni. & de hered. quæ ab int. defer.* ſiue iure ciuili, ſiue
iure prætorio, ſiue directe, ſiue per fideicommiſſum, *l. heredis ap-*
*pellatione, 170. de verb. ſignif. l. antiquitas, de vſufr. C.* Et bonorum
poſſeſſio quoque hereditas dicitur, *l. 2. de bon. poſſe. P. l. hereditatis*
*appellatione, 138. de ver. ſign. l. 2. & 3. de pet. her.* quamuis a prætore
fiat bonorum poſſeſſor, non heres, ſed quaſi heres, *§. quos autem*
*prætor, de bono. poſſ. ap. Iuſtin. l. 1. de poſſeſſo her. pet.* Ita heres nomen
eſt acquiſitionis dominii: & pro herede, pro dominio erat ſe ge-
rere, *§. fi. de her. qual. & differ.* poſt mortem videlicet dominorũ,
qui potius malunt ſibi reſeruare, quam heredibus ante diſtribue-
re. Quod perpulcre docet Horatius, *Sermo. 2 Sat. 3.* his verſibus,

*Pauper Opimius argenti poſiti intus & auri,*

*Qui Veientanum feſtis potare diebus*

*Campana ſolitus trulla, vappamque profeſtis:*
*Quondam lethargo grandi eſt oppreſſus, vt heres*
*Iam circum loculos & claueis lætus ouanſque*
*Curreret: hunc medicus multum celer atque fidelis*
*Excitat hoc pacto. Menſam poni iubet, atque*
*Effundi ſacros numorum: accedere plures*
*Adnumerandum: hominem ſic erigit: addit & illud,*
*Ni tua cuſtodis auidus iam hoc auferet heres.*
*Men' viuo? vt viuas igitur vigila, hoc age.*
*Quiduis? &c.*

## De Hereditate, quæ ex Contractu defertur: primumque ex donatione cauſſa mortis.

### Cap. 2.

Lib. 2. Inſtit. tit. 7. Lib. 39. P. tit. 6. Lib. 8. C. tit. 57.

1 *Hereditas defertur ex donatione cauſſa mortis, & ex pacto quomodo.*
2 *Donatio cauſſa mortis quomodo fiat, quid, quomodo legato conueniat, reuocatur ante mortem, præmoriente donatario. eod. 4. 5. & 6.*
3 *Mortis cauſſa donationis, & mortis cauſſa opinionis differentia.*
7 *Legatum in quibus differat a donat. cau. mor.*
8 *Donatio cauſſa mortis quomodo differat a donatione inter viuos, inſinuatione num egeat, & quando æquiparetur vltimæ voluntati. & nu. 9.*

1 DEfertur hereditas † ex contractu, vel ex donatione cauſſa mortis, vel ex pacto. Donatio hæc, mortis cauſſam habet, ſcilicet cogitationem mortis in genere vel in ſpecie propter inſtans & imminens periculum: vel cum ea lege alicui donatur, vt poſt mortem tantum valeat donatio, *l. 2. 3. 4. 5. 6. de mor. cauſſ. donat. P.*

2 ¶ † *Mortis cauſſa donatio eſt*, vt ait Iuſtinia. *§. mortis cauſſa donatio, de donation. apud Iuſtin. quæ propter mortis fit ſuſpicionem, cum quis ita donat, vt ſi quid humanitus ei contigiſſet, haberet is, qui accepit: ſin autem ſuperuixiſſet is, qui donauit acciperet.* Marcellus autem ſic explicat, *l. 1. de mor. cauſſ. donat. P. mortis cauſſa donatio eſt, cum quis habere ſe mauult, quam cum cui donat: magiſque cum cui donat, quam heredem ſuum.*

3 ¶ † Mortis conſideratio in iſtis donationibus, donantis eſt: nam ſi mortis alterius cauſſa fiat donatio, aut ſi alius moriatur, alius capiat, mortis capio dicetur, *l. qui pretio, 8. l. ſi mulier, 12. & l. mortis cauſſa capimus, 18. de mor. cau. donatio. P.* quæ differt a donatione cauſſa mortis. Et rurſus donatio facta mortis cauſſa differt ab ea, qua moriens donat: nam noſtra reuocabilis, hæc minime, *l. Seia, §. fin. & l. vbi ita donatur, eod.*

4 ¶ † Vſque adeo vt magis videatur affinis hæc donatio legato, quod vltima voluntate fit, §. 1. *de dona. apud Iuſtin. l. fin. de donat. cau. mor. C. l. illud generaliter, & l. Marcellus, § fi. eo. tit. P.* quam alteri contractui. Nam quemadmodum ex legatis, ſic ex hac donatione detrahitur Falcidia, *l. in donationibus, & l. pen. C. ad leg. Falc. l. vbi ita donatur, in fin. & l. Seia, in ver. muliere, de dona. cau. mor. P.* & quemadmodum recepta eſt inſtitutio in legatis fideicõmiſſoria, ſic & in his donationibus, *l. 1. C. eod. l. ei cui, eod. P.* Qui poteſt legata capere, poteſt & donationes cauſſa mortis accipere, *l. omnibus, eod.* In vtriſque ſicut in omni vltima voluntate, quinque deſiderantur teſtes, *l. 1. & fin. de codic. C. l. fin. de dona. cauſſ. mort. C.* Et qui poteſt teſtari legareve filiusfam. ex priuilegio militari vel alio, poteſt mortis cauſſa donare, *in l. Marcellus notat, eod. P.*

5 ¶ † Item ſicut legatum reuocari poteſt vſque ad mortem per teſtatorem, *l. 3. §. fin. & l. 4. de adim. lega. P.* & a morte teſtatoris cedit dies tantum legatorum pure vel in diem certam relictorum, *l. a Titio, de fur. P. cum ſimilib. ibi not. & ti. quan. dies leg. ced. eod. P.* ſic donatio hæc nec perficitur, niſi morte donantis, *l. non videtur, de donat. cauſ. mort. l. mortis cauſſa donatio dum pendet, eod.* Vt ante traditum ex hac cauſſa, repeti & condici poteſt pœnitentia *l. qui mortis cauſſa, eod. §. 1. de donat. l. non omnis ſi cer. pet. P. l. Senatus, §. donatio in fine, ſi cert. pet.* Quod tamen ita demum putat Guill. Benedictus, *in c. Raynutius, in ver. teſtam. 4. num. 23.* locum habere & reuocari, ſi ſub commemoratione mortis donantis donatio fiat. Nam ſi alia perſona, inquit, in illa diſpoſitione adiiciatur cuius interſit non reuocari, irreuocabilis eſt & inter viuos facta cenſetur. Baldus, *in l. pro hereditariis, in fine, de heredita. actio.* ponit exemplum, ſi mulier viro dotem dedit, & actum ſit, quod poſt mortem mulieris in matrimonio præcedentis relictis liberis dos a marito teneatur pro ipſis liberis, vultque donationem eſſe inter viuos, propter perſonam aduentitiam filiorum. Cui tamen ſententiæ aduerſari videtur ex diametro l. 1. de dote præleg. P. & l. Seia, de mort. cau. donatio. vbi huiuſmodi perſonæ adiiciuntur: & nihilominus, ſi non perſeuerauerit donans, reuocare poteſt. Quod & animaduertit Alexander, *in l. quæ dotis ſolu. matr. P.* Et ego lubens contra Baldum ſubſcribo, quia actus agentium & adiectorum, intelligẽdi ſunt conſideratione negotii de quo agitur, *l. ſi vno anno, locat. P. c. intelligentia, de ver. ſignif.* Agitur autem hic de donationis cauſſa, quæ ſui natura irreuocabilis eſt. Quare nec eius actus operabitur vltra agentium voluntatem, *l. non omnis, C. de reb. cred.* ¶ † Præterea ſimilis legato donatio hæc, vt quemad- 6
modum legatum mortuo legatario ante teſtatorẽ exſpirat, *l. vni, §. in primo, de caduc. toll. C.* ſic moriente donatario cauſſa mortis, ante donantem cenſeatur donatio reuocata, *l. Seia, de mort. cauſſ. donatio.* vel ſi donans ex infirmitate conualuerit, ob cuius metum donauerat, *l. ſi filiofam. eod. P.* Et ſi res donata non poſſit reſtitui, forſan quod alienata ſit, reſtituetur pretium & lucrum, *l. illud, in fine, & l. ſi is cui mortis cauſſa, & in l. de mor. cau. donat. P.* ¶ † Sunt 7
tamen alia capita, in quibus donatio hæc & legatum diſtinguuntur: vt quod donans in annos ſingulos, vnam facere videatur donationem, *l. ſenatus, §. fi. eod.* Si fiat tamen legatum in annos ſingulos, plura dices eſſe legata, *Azo. in Sum. de donat. cau. mort.* Item quod donatio hęc a donante percipitur, *l. 1. eod. P.* legatum ab herede, *§. legatum, de lega. l. legatum, de leg. l. 2. 1. quor. lega. P.* Nec poteſt filiusfam. teſtamentum facere & in eo legare etiam volente & permittente patre, *l. qui in poteſtate, de teſta. & l. ſi tantum, C. qui teſta. fac. poſſ.* Poteſt tamen eodem patre permittẽte, donare cauſſa mortis, *l. tam iis, de donatio. cau. mort. P.* Sunt & aliæ differentiæ, quas notat gloſſ. in §. 1. ad verb. fere, donat. Nam ſecundum formulam contractus nomen induit: effectu, quodammodo cum vltima voluntate conſentit.

¶ † Nec tamen omnino naturam donationis habet inter vi- 8
uos, neque vltimæ voluntatis: etenim diſtat ab aliis donationibus, quod morte donantis confirmetur, *l. vbi ita donatur, eod.* nec indigeat inſinuatione, ſecundum neceſſitatem aliarum donationum, *l. fin. de don. cau. mort.* Quamuis hodie in Gallia inſinuari debeat ratione conſtitutionis Molinenſis. Sed & in donatione inter viuos, conſtitutum ſcilicet quod quis dicat ſe alieno nomine poſſidere, transfert poſſeſſionem in donatarium, *l. quiſquis, in. iuncta glo. in ver. credatur, C. de donatio.* In donatione autem cauſſa mortis, diuerſum: Quia intentio fit donantis vt ſe malit poſſidere, quam eum cui donat, *l. 1. de mor. cau. donatio. P.*

¶ † Angelus Aretinus autem in quæſtione, num æquiparetur 9
donatio cauſſa mortis vltimæ voluntati, tria eſſe conſideranda monet, *Ang. Areti. in § 1. de donatio. apud Iuſti. num. 6.* ordinationem, confirmationem, & effectum: Nam quod pertinet ad ordinationem, magis ad contractum accedit, *ita intelli. gloſſ. in l. 2. de dote prælega.* Et proinde quæ de donatione inter viuos diximus ſuo loco, perpendenda ſunt: quia in donatione, hoc modo conſiderantur traditio, ſtipulatio, pactum duorum pluriumve, quæ in legatis ceſſant. Ratione etiam confirmationis, magis hæc donatio accedit contractui: quia in ea non exſpectatur aditio hereditatis, quemadmodum in legatis, *gloſſ. in l. poſt legatum, §. pen. de iis quib. vt indig. P.* Quod autem pertinet ad effectum, magis accedit vltimæ voluntati reſpectu rei vindicationis, quæ vtriſque ſucceſſoribus competit, *l. ſi mortis, de mor. cauſſ. donatio.* habetque in vtriſque ius accreſcendi, *l. vni, § fin. de cad. toll. Cod. l. ſi mihi & Titio, de verbo. oblig. P.* Quare & per hanc fidei quodammodo ſucceſſionem hereditariam ex voluntate defuncti, ſi potiſſimum ſit vniuerſorum bonorum, concludendum eſt. Sed hic ſucceſſor proprie non dicetur heres, ſed donatarius cauſſa mortis. Ideo locus hic nõ eſt, vt ſucceſſionis explicetur tractatus, & ſufficit ſcrupulum hunc leui manu remouiſſe.

## De Succeſſione mortui, quæ pacto defertur.

### Cap. 3.

1 *Hereditas pacto quot modis deferatur.*
2 *Pactum de hereditate mortui valet.*
3 *Fratrum diſcordia ob bona.*
4 *Stipulationes ex Senatuſc. Pegaſiano quæ.*

OMne ius, quo vtimur, † conſiſtit vel in acquirendo, vel in conſeruando, vel minuendo. Aut enim id agimus, quemadmodum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

modum quid cuiuſque fiat: aut quemadmodum quis rem ſuam, vel ius ſuum conſeruet, aut quomodo alienet, vel amittat, *Vlpian. l. fin. de legib. P.* Totidem modis pacta circa hereditatem futuram variantur. Nam ea ſunt, aut de ſuccedendo, & ita de acquirenda hereditate: aut de hereditate conſeruanda, aut de hereditate certo modo diſponenda, hæcque pertinent ad ius conſeruandum: aut de nõ ſuccedẽdo, & ita de alienatione agitur. In prima ſpecie pacti de ſuccedendo in hereditate, diſtinguendum an de hereditate defuncti, aut viui agatur. Et ſecundum hanc diſtinctionem duo colliguntur veriſſima axiomata.

Prius, Pactum de ſuccedendo in hereditate defuncti, valet.

Alterum, Quod pactum de ſuccedendo in hereditate viuentis, reprobatur. Vtrumque explicandum ordine quo propoſui.

2 ¶† In primo igitur concludimus, pactum de futura & obuentitia hereditate eius, qui mortuus eſt, approbatum. Satius enim eſt litem pacto ſopire, & queſtionem de hereditate pacifice tranſigere, quam ſpe reſtituendæ hereditatis poſt mortem poſſeſſoris, vitæ eiuſdem parare inſidias. Ea ratione, inter coheredes vel ſubſtitutos a teſtatore mortuo, ſi alter illorum præmoreretur ſine liberis, pactio de reſtituenda vel remittenda hereditate iam mortui teſtatoris valet, *Exemplum in l. cum proponas, 16. & l. 1. de pact. C. l. de fideicommiſſo, C. de tranſact.*

3 ¶† Sic enim conſulitur concordiæ maximæ fratrum, quæ facile bonorum ambitione diſſoluitur, & impia audent: vt de Etheocle & Polynice fratribus ferunt, quibus pater Oedipus rex Thebarum, regnum reliquit ea lege vt alternis annis regnarent. Verum cum Etheocles maior natu peracto anno fratri cedere noluiſſet, bellum inter eos ortum eſt, coactiſque vtrinque copiis mutuis vulneribus ſe interemerunt, *Virgil. in Culice.* Idipſum accidit filiis Procæ regis Albanorum, qui duos filios Amulium & Numitorem habuit, quibus alternis annis regnum diuiſit regendum. Sed prior cum Amulius regnaſſet, peracto anno, fratri noluit cedere: quin etiam Lauſam filium eius interemit, & Iliam eius ſororem inter Veſtales incluſit, ne ex ea aliqua proles naſceretur, & ſolus regnaret, *Ouid. 4. Faſtor.* De hoc pacto ſucceſſionis mortui a viuente præſtandæ, exiſtimo loqui l. cum Artemidoram, vt in poſſeſſ. lega. C. *libr. 6. Cod. titu. 53.* Quamquam gloſſ. in l. ita tamen, §. a patre, ad Senatuſconſ. Trebell. exiſtimet, ibi agi de hereditate viuentis, quod non probo.

4 ¶† Huc pertinent ſtipulationes ex Senatuſconſulto Pegaſiano, de hereditatibus fiduciariis inter rogatos & vocatos, quæ interponebantur quando de parte hereditatis reſtituenda quis rogabatur, tanquam inter partiarium, legatarium, heredem: vt lucrum & damnum hereditarium inter heredem & ipſum legatarium, qui partiarii loco habebatur, eſſent communia, §. *poſt quod ſenatuſconſultum, de fideicommiſ. hered.* quando ſupra dodrantem legatum erat. Nam ſi infra dodrantem, fiebat ex Senatuſconſulto Trebelliano reſtitutio, *titu. ad Senatuſc. Trebell.* Dehinc & ſi ſupra dodrantem rogabatur quiſpiam de tota hereditate reſtituenda, emtæ & venditæ hereditatis ſtipulationes interponebantur, §. *ergo ſi quidem, & §. ſed quia ſtipulationes, de fideicom. hered.* Accedat exemplum aliud axiomati, vt non tantum pactum de ſpe reſtituendæ aliquando hereditatis defuncti valeat, ſed etiam pactum de hereditate adita factum, vt cum ea venditur, vel alio modo diſtrahitur, *titu. de hered. vel actio. vend. l. ſi creditor filii, 38. de pecul. lib. 15. P. titu.* 1. ſiue agatur de hereditate acquirenda, ſiue de transferenda ante aditam vel poſt, *l. 2. §. 1. de hered. vel act. vend. P.* ſiue de legato ſub conditione, *l. & heredi, 22. §. filiafam. de pact. l. denique, §. ſi quid minor. de minor. 25. ann. P.*

## De Pacto de futura ſucceſſione viuentis improbato. Cap. 4.

1 *Pactum de futura ſucceſſione viuentis improbatum, nec obligat. Rationes in ſeq. nu.*
2 *Teſtandi interpellatio triſtis, vt mortis futuræ memoria.*
3 *Teſtamentum viui reſerans, qua pœna puniatur.*
4 *Homicidia quædam ſucceſſionis obtinendæ cauſſa perpetrata.*
5 *Pactum de hereditate viuentis inducit votum captandæ mortis.*
6 *Beneficium viuentis impetrans quomodo puniatur.*
7 *Hereditatem viuentis venari, contra bonos mores & ius gentium eſt.*
8 *Hereditatum aucupatores male ſemper audierunt.*
9 *Voluntates vltimæ ambulatoriæ vſque ad mortem, non contractuum.*
10 *Contractus in teſtamento an fieri poſſit.*
11 *Teſtandi forma publici iuris, ideo pactis mutari nequit.*
12 *Voluntas vltima pacto reſtringi non poteſt.*
13 *Teſtari de bonis quomodo iure ſingulari permiſſum dicatur.*
14 *Pactum de hereditate tertii viuentis cur non fiat.*
15 *Pactum de futura ſucceſſione quare in inſtrumento dotali non fit, & ſeq.*
16 *Filiis & vxori quare pendente ſua vita pater vel maritus nihil debet donare.*
17 *De fratrum concordia fouenda.*

Recepta eſt regula † generalis, pactum de ſuccedẽdo in here- 1
ditate viuentis, vel herede inſtituendo improbari, nec habere obligationem, *l. ſtipulatio hoc modo concepta, de verb. oblig. P. l. ex eo, de inutil. ſtipu. l. fin. Cod. de pact. ca. accepimus, eod. apud Grego. ca. 2. de conceſſ. preb.* etſi adiiciatur pactis matrimonii vel dotis filiæ, *l. pactum quod dotali, Cod. de pact. l. pactum dotale, & l. hereditas, Cod. de pact.* Prior huius ſententiæ ratio eſt, quod res maxime luctuoſa domino videatur, ante tempus mortis ſibi poſtremum & quod iterum non redit arbitrium, *l. 1. Cod. de Sacroſanct. eccleſ.* deſcribere. Luctuoſæ vitæ voces Ezechiæ dictæ a Propheta, *diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues, Eſa. 38.* Hereditas enim non eſt, niſi poſt mortem inſtituentis, *ca. cum Matthæi, de celeb. miſſa. l. hereditas, de reg. iur l. 1. pro herede, l. nec nos præterit, de capti. C.* & præmatura eſt ſolicitudo de hereditate viuentis, *l. 2. §. interdum, de vulga. l. ita tamen, §. a patre, ad Trebell. l. 1. §. ſi impuberi, de collat. bono.*

¶† Deinde, vt ait Iuſtinia, *§. 1. de teſtamento. illud mali ominis* 2
*videbatur, ſano quempiam & valente corpore, teſtamentum facere.* Et mortis conſideratio decreta præmature ab eo, qui de ſua hereditate paciſcitur, deſperationem vitæ quodammodo continere videtur, & factum pœna potius quam approbatione dignum: non ſecus quam ſi quis tædio vitæ affectus ſibi manus inferre conatus ſit, ſine iuſta doloris cauſſa, *l. ſi quis aliquid, in 2. l. 38. §. fin. de pœn. in P. l. fin. §. ſi quis autem, de his qui mort. ſibi conſci. P. l. cum autem, §. fin. de ædil. edi. l. omnes, §. qui ſe, de re milit.* Neque ideo audietur is, qui de ſua hereditate depaciſci conſentit ante tempus, vt perire volens, *l. non tantum, de appellat.* Dignus & is pœna, qui aucupatur bona viui ea via, quæ mortem tantum admittit: vt non immerito C. Lutorius Priſcus eques & poeta nobilis, qui ægrotante adhuc Druſo Tiberii filio carmina de morte illius ſcripſerat, cum hoc indigniſſimum Senatui viſum fuiſſet, a Senatu condemnatus vita deceſſerit, *Dio. Caſſ. lib. 57. hiſtor.* Et quando Plinius deteſtatur medicinæ artem affectatam, per quam præmature vita multis adimitur, *Plin. lib. 29. cap. 1. Quid, inquit, venenorum fertilius, aut vnde plures teſtamentorum inſidiæ?* Significans vitæ mortis inſidias apparari ob teſtamenta facta prætextu ſani medicamenti.

¶† Quamobrem & pœna falſi illis impoſita, ob metum in- 3
quam harum inſidiarum, qui viui teſtamentum reſerauiſſet, *Paul. in l. ſi quis aliquid, in 2. §. qui viui, de pœn. l. 2. §. ſi dubitetur, quem. teſtam. ape.* Exemplum l. Cicero, de pœnis, metum inſtruit. Atque recte poſtea calatis comitiis teſtamenta fieri abiit in deſuetudinem, *§. 1. de teſtam. ordin. Aul. Gellius lib. 15. cap. 27.* Et licuit imas ceras pupillaris ſubſtitutionis claudere teſtatoribus, *§. ſin autem ita formidoloſus, de pupill. ſubſtitut.* Accedit & lex prima vbi pupillus educari debeat, Cod. ibi, *Sublata acerbiſſima ſpe, &c.* Periculum enim imminet, ne is, qui ſe heredem futurum alicuius certo nouit, mortem eius acceleret: & contra, ne is qui ab inſtitutione pactitia iure reſilire non poſſet, mortem etiam inſidianti inferendo, ſuam conſeruare pertentet, vt ferunt, *Lucian. in dialog. Crate. & Diogen.* quendam Mœrichum ſupra modum diuitem, & Ariſteam quoque diuitem eius conſobrinum, ambos teſtamenta publicaſſe, in quibus Mœrichus ſi prior moreretur, Ariſteam omnium rerum ſuarum dominum relinquebat, Mœrichum viciſſim Ariſteas, ſi prior ipſe a vita decederet. Et hæc cum eſſent in tabulis ita ſcripta, ſeſe inter ſe captaſſe, & alterũ alterũ adulationibus & obſequiis ſuperare contendiſſe: verum illud Homericum in ore habuiſſe, *aut me confice tu, aut ego tete.* Satis proni ſunt ad mala & homicidia cupidi homines, vt allici eos certitudine obtinendi virorum patrimonia non oporteat: vt certe inteſtati ſucceſſio hac pernicie improbanda videatur.

¶† Sic enim Learchus Archeſilaum Cyreneorum regem æ- 4
gro tandem veneno ſuſtulit, *Herodot. in Melpomene.* Aridieus



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pamphyliæ tyrannus, patrem ſenio confectum, & fratrem natu maiorem interfecit, *Plato 10. de Repu.* Iugurtha Manaſthabalis filius nothus, Adherbalem & Hiempſalem Micipſæ patrui ſui filios interemit, vt ſolus Numidis imperaret, *Saluſt. in Iugur. bel.* Pygmalion Tyrii rex, frater Didonis auri cupidiſſimus, Sichæum ſororis ſuæ maritum agri ditiſſimum inter Phœnicas interfecit, vt mortui diuitias arriperet, *Virg. 1. Æneid. ibi, Ille Sichæum impius ante aras, &c.* Notiſſimum & eſt, quod Polymeſtor Rex Thraciæ, Polydorum iuuenem Priami & Hecubæ filium necauerit, vt auro ſibi cum puero commiſſo potiretur, *Euripid. in Hecuba. Virg. 3. Æneid. ibi, Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno. &c.*

5 ¶ † Atque male audiuit Caius Caligula heredipeta, qui ad cōficiendam pecuniam edictum Senatuſconſulto propoſuit, vt qui ante ſibi heredem Tyberium deſtinaſſent, ii morte ſua Caio legarent, *Dio. Caſſ. lib. 59. hiſt.* Proinde iuſte iura deteſtantur has de hereditate viuentis pactiones, vtpote inducentes votum captandæ mortis, *l. fin. C. de pact.* Et in viuentium locum etiam in beneficiis eccleſiaſticis, collationes, *c 1. & 2. de conce. præben. apud Grego. c. ne captandæ, & ca. deteſtanda, eo. in 6.* Volueruntque eum, qui in viuentis beneficium ſe inſtitui procurauerit vel paſſus fuerit, ab eccleſiæ communione pelli, *d. c. 1. de conceſſ. præben.* & deponi, *c. in primis, 2. q. 1. ca. non furem, & ca. eum qui, 7. q. 1.* vt nec valeat promiſſio de præbenda conferēnda antequam vacet, etiam ex conſenſu eius, qui eam poſſidet: cum ipſe eam non poſſit concedere, *ca. quod autem, de iure patro. apud Grego.*

6 ¶ † Scribit & Dio Caſſius, *lib. 49.* non licuiſſe Romæ viuo alicui pontificatum adimere: & ideo Octauium Cæſarem recuſaſſe ſummum pontificatum Lepidi, eo viuente a populo oblatum. Fuit & obſeruatum infauſtum fuiſſe ſemper in magiſtratibus, in locum viuentis alium ſubrogari, & pendente tempore eius adminiſtrationis, abrogato magiſtratu viuenti. Conſtatque neminem, qui magiſtratum collegæ abſtulerit, annum vixiſſe, *vide quæ notat Ioan. Cuſpinia. ad conſulares Faſtos Caſſiodori, dum agit de M. Lepido, 2. & Lal. Planco Coſſ. pa. 323.* Abrogarunt autem iſti L. Iunius Brutus Collatinus, Tarquinio Collatino.

T. Gracchus, M. Octauio Cenimæ.
P. Tarquinius, P. Marullo.
Tullius, Caſſio & Bruto pugnam aduerſus Cæſarem molientibus.

Et Iulius obſequens, libro de prodigiis, dum recenſet prodigia, quæ acciderunt tēpore Conſulatus M. Lepidi, & Munacii Plauci, notat prodigii loco, quod P. Titius prætor, propter diſſenſiones, collegæ magiſtratum abrogauit, & ante annum mortuus eſt.

7 ¶ † Secunda prohibitionis pacti de futura ſucceſſione viuentis ratio eſt, quod illud ſit contra bonos mores, feſtinare ad viuentis hereditatem, *l. quidam in iure, l. 30. §. fin. & l. 3. de donatio. P. l. ſtipulatio hoc modo concepta, de verb. oblig. P. l. ex eo, 4. de inutil. ſtip. C. l. ſi. ver. ſecundum veteres, de pact. C.* Quæ autem fiunt contra bonos mores, proculdubio reiiciuntur, *l. iuriſgentium, §. prætor ait, eod. P. l. non dubium, C. de legib. l. ſi quis inquilinos 125. §. fi. de lega. 1.* Boni mores ius faciunt, *ca. mos eſt, 1. diſtin. l. de quibus, de legi. P. l. moribus, de vulg.* Contra bonos mores quæ ſunt, iure impoſſibilia factu exiſtimantur, *l. filius qui fuit in poteſtate, 15. de condi. inſtitut. lib. 28. P. tit. 7.* Et proinde pacta inutilia de iis: vt ſunt nulla de impoſſibilibus initia, *l. non ſolum, de action. P. l. homo mortuus, & l. impoſſibilis, de ver. oblig. §. item impoſſibilis, de inutil. ſtipul. l. impoſſibilium de reg. iur.*

8 ¶ † Vt autem, quid boni mores dicantur, doceamus: dico in primis morem dici, id quod in vſu eſt, & pro lege & conſuetudine receptum eſt, vt ait Ariſtoteles, *2. Polit. cap. 6.* Et rurſum, *Idem 2. Ethico. ad Eude. Mos a conſuetudine, vt nomen indicat, incrementum capit: eſtque vitæ inſtitutum conſuetudine firmatum.* Vt autem probus bonuſque dicatur mos, quatuor requiruntur ſecundum eundem Ariſtotelem, *Idem in Poetica.* Primum, vt probitatem præ ſe ferat & honeſtatem: ſic etenim iuſtum dicunt iura, quod bene fit, & quod bene poſſidetur: & male poſſidere eum, qui vel ſuis male vtitur, vel aliena præſumit, *cap. ius dictum eſt de verb. ſign. cap. quid dicam, 14. q. 4.* In exemplo heredipetarum id docet etiam Cicero, *Mihi*, inquit, *quidem etiam veræ hereditates non honeſtæ videntur, ſi ſint malitioſis blanditiis officiorum, non veritate, ſed ſimulatione, acquiſitæ.* Secundo mos exigit, vt is ſit conueniens. *Veluti*, inquit Ariſtoteles, *In poetica, fortitudo mos eſt: ſed eſſe vel fortem vel prudentem, vtique mulieris perſonæ non conuenit.* Sic dicamus moribus quidem eſſe receptum, vt liceat libere teſtari cuique de rebus ſuis, & vt velit, *§. 1. de leg. Fuſ. Cani. toll. l. 1. de ſacroſ. eccleſ. C.* Sed non eſſe conueniens, vt pactis illa conſtringatur voluntas. Tertio, exigunt boni mores, vt ſibi conſtent, id eſt, non fuerint immutati, ſed ſeruati: vti enim corpora, ſic ipſi mores motionibus diſcernuntur, *Ariſto. 4. Ethic. ad Nicomach. cap. 8.* Vnde conſuetudo requiritur inueterata, diuturna, ſecundum quam iudicatum ſit, & quæ per annos plures fuerit conſeruata, *l. de quibus, de legib. P. cum ſeq. 11.* Quarto, vt mos æquali tenore procedat, id eſt, vt vno modo, non diuerſo fuerit obſeruatus in aliqua ſui parte.

9 ¶ † Tertia prohibitionis cauſſa pacti ſucceſſionis futuræ, eſt, quia natura pacti pugnat cum natura actus, qui fieri debet, videlicet cum actu ſucceſſionis: nec verba inſtitutionis pertinent ad contractum, ſed ad teſtamentum, quia inſtitutio eſt caput & potiſſima pars teſtamenti, *§. ante heredis, de lega. apud Iuſt. l. 1. de hered. inſtit. l. proxime, de his quæ in teſta. delent. de codicill. P. l. non codicillum P. l. fin. de teſta. C.* Et, vt ait Vlpianus, *in leg. verba contraxerant, 20. de verb. ſig. Verba contraxerunt. geſſerunt, non pertinent ad teſtandi ius.* Natura vltimarum voluntatum & inſtitutionis eſt, vt mutari poſſit ex arbitrio ſtatuentis, vſque ad mortis periodum. Et vt cum noſtris loquamur, ſit ambulatoria voluntas vſque ad vltimum vitæ ſpiritum, *l. 4. de alimen. lega. ca. vltima voluntas, 14. q. 2. l. cum hic ſtatus, §. pœnitentiam, de donat. int. vir. & vxor.* & morte tantum conſiſtat, *c. cum Marthæ, de celebra. miſſar.* vt nemo hoc modo poſſit legem ſibi eam imponere, a qua non poſſit recedere, *Hermog. in l. ſi quis in princip. 22. de legat. 3.* Sicque nouiſſima, quia ea tantum vltima voluntas dicitur, ſeruanda eſt, *l. tranſlatio legati, 6. l. nihil prohibet, 17. de adimen. leg. lib. 34. P. tit. 4. Pomp. in l. ſi mihi & tibi, 12. §. in legatis, de lega. 2.* At contra in contractibus, ſemel voluntas placita incommutabilem habet effectum, *l. ſicut, de actio. C. in l. commodato, §. ſicut, commod. P. l. velles nec ne, de reuoc. donatio.* Ac proinde, ſi ſemel facta eſſet hæc donatio ſucceſſionis, retento vſufructu non poſſet alia voluntate reuocari, vt late diſputat Nicolaus Boerius, *conſi. 37. num. 1. & 6.* quia per illum fuit dominium translatum retinente donante vſumfructum, *l. quiſquis, & l. ſi quis argentum, §. ſin autem, C. de donat.* Cum dicis ex contractu deberi ſucceſſionem, iam profiteris incommutabilem voluntatem, & commutabilem. Nam contractus incommutabilem facit, inſtitutio commutabilem. Et ſequitur nihil agi, quia vna & eadem res non poteſt diuerſo iure cenſeri, *l. eum qui ædes, de vſucap. P.* Et ita reſcriptum optime, quod hereditas pactis dari non poteſt, *l. hereditas, de pactis conuen. C.*

10 ¶ † Vt teſtamenti factio nullum actum ſibi interſeri patitur, qui non pertineat ad teſtamentum, alioquin ipſum teſtamentum vitiatur, *l. cum antiquitas, C. de teſtam. l. heredes palam, §. fi. eod. P.* Quamuis gloſſa quędam, *gloſſ. in d. §. fin.* dicat, contractum emtionis fieri poſſe in teſtamento. Quod intellige de contractu emtionis, non hereditatis teſtatoris, vel legati. Sed alterius rei, quæ nec hereditas nec legatum ſit, *vt in l. aſſignare, de aſſi. liber. P. l. ex ſententia, de teſtam. tut. P.* Sic intellige iuris interpretes, qui dicūt, *vt Boer. deciſ. 353. num. 4. & 5. Franc. Areti. in §. fi. C. l. heredes palā, Bar. in l. cum quis decedens, §. codicillis, de leg. 3. Bald. in l. rationes, de proba. C. & in l. creditores, C. de fideicommiſſ.* in ipſo actu teſtandi, fieri poſſe donationem, quam dicunt irreuocabilem, dummodo præſens fuerit cui donatur & acceptauerit, vel alius pro eo abſente: & forſan etiam dicetur optime hæc donatio cauſſa mortis.

11 ¶ † 4. Ratio teſtādi & inſtituendi forma, iuris publici eſt: ideo pacto mutari non poteſt, *in l. 3. de teſta. P. l. teſtandi, C. eod.*

12 ¶ † Quemadmodum ius publicum pactis priuatorum lędi nō poteſt, *l. ius publicum, de pact. P. l. quod de bonis, §. fi. ad legem Falci. P. l. pen. C. de arbit. c. ſi diligenti, de foro compe.* 13 ¶ † Accedit 5. quod ſupremum hominis iudicium pacto conſtringi nō poteſt, *l. ſi fratres, §. idem reſpondit, pro ſoc. P.* ¶ † Item 6. captatoriæ inſtitutiones prohibitæ ſunt, quæ pendent ex alterius arbitrio: & ſatis conſtanter veteres decreuerunt teſtamētorum iura ipſa per ſe firma eſſe oportere, non ex alieno pendere debere arbitrio, *Cai. in l. illa inſtitutio, 32. Pomp. in l. ſi quis Sempronium. 68. Papin. in l. captatorias, 70. de hered. inſtit. lib. 28. P. titul. 5. Modeſt. in l. nonnunquam contingit, 51. de condit. & demonſtra. P. §. latii, de hered. quæ ab inteſt. defer.*

¶ 7. Eius quod non eſt in rerum natura, nulla eſt obligatio, *l. ſi homo mortuus & l. inter ſtipulantem, §. ſacram, de verb. obligat.* viuentis autem nulla eſt hereditas, *l. 1. de hered. vel actio vend. l. 1.*

pro

*pro hered. P. probat & finitio hereditatis, l. hereditas, de reg. iur. l. nihil aliud, de verb. ſig.* Quare pacto de ſuis bonis, contractu, tanquam de hereditate ſua, non poterit diſponere. Potiſſimum cum ſingulari iure permiſſum eſſe videatur viuentibus, vt in illud tempus de bonis ſuis diſpoſitionem transferant, quo deſinunt eſſe domini, nempe poſt mortem, *l. 1. de teſtam. P.* quæ cum omnia ſoluat, *§. deinceps, de nup. in auth.* & dominium quoque adimit. Et ita priuilegium hoc, quod contra iuris alterius communis eſt regulas, non eſt ad facultatem paciſcendi prorogandum, *iuxta l. quod vero, cum 2 ſeq. de legib. P.* Nulla enim poſt mortem apud nos manent, vt poſſimus de illis diſponere. Sed omnia aliis relinquimus, præter & contra voluntatem etiam. Et,

*—res nunc ſorte ſuprema*
*Permutant dominos, recidunt & in altera iura,*

vt ait Horatius.
Diuites relinquent alienis diuitias ſuas, & domus illorum ſepulcra illorum in æternum, *Pſal. 48.* Nos abimus, res ipſæ ſubſiſtunt & permanent: ſicut Lucianus hoc diſticho concludit, *Lucia. in Andologia.*

*θνητὰ τὰ τῶν θνητῶν, καὶ πάντα παρέρχεται ἡμᾶς.*
*ἢν δὲ μή, ἀλλ' ἡμεῖς αὐτὰ παρερχόμεθα,* id eſt,
*Mortales res hominum mortalium ſunt,*
*Et omnia tranſeunt nobis.*
*Sin minus, nos ipſas res pertranſimus.*

14 ¶ † Quod ſi quis velit de tertii hereditate, & cum alio, quam cum domino paciſci, pernicioſius pactum erit: quod de aliena re, cum periculo domini & mortis inferendæ ſuſpicione, depaciſcatur. Et ſecta noſtrorum temporum non patitur de rebus alienis, inſciis dominis, contractus fieri, *l. fin. in fine, C. de pact.* Nec cuiquam ſuũ ius detrahi oportet, *l. 2. de iis qui ſunt ſui vel alie. iur. l. nemo exterus, C. de Iudæ. l. in re mandata.*

15 ¶ † Sed forſan quis dubitabit, cur ſaltem in dotali inſtrumento, iure ciuili etiam non licuit, vt diximus, pacto hereditatem dare. Itaque ſunt priores rationes tanquam communes hic inuocandæ, & ſingulares aliæ addendæ. Quarum prior, Quod maior ſit fauor libertatis arbitrii, quam dotis, *Bald. & Salic. in l. pactum quod dotali, C. de pact.* Altera quod arbitrium diſponẽdi de rebus ſuis, niſi legibus quibus permiſſum eſt regatur, eſt nobis inutile, *Sceuo. l. codicillis 91. §. fin. de lega. 2.* Ego, inquit Plato, *11. de legib. qui leges condo nec vos veſtros eſſe arbitror, nec rem familiarem hanc omnem eſſe veſtram ſed totius generis præteriti ac futuri: multoq; magis vniuerſæ ciuitatis & genus omne & diuitias eſſe. Hæc cum ita ſint, ſi quis aſſentatiunculis in ſenio & morbo vos aggreſſus præter honeſtũ teſtamentum condere perſuaſerit, nunquam id fieri ſponte concedam: Sed quod ciuitati vniuerſæ generique conferens conſiderans, ita leges conſcribam, vt ſingulorum commoda minoris quam cunctorum, vt par eſt, æſtimem.*
16 ¶ † Qua in re nec filiorum maior habetur ratio. Quod, vt Eccleſiaſticus admonet, *c. 33. Filio, mulieri, fratri, & amico non des poteſtatem ſupra te in vita tua: Et ne dederis aliis poſſeſſionem tuam, ne forte pœniteat te, & depreceris pro illis. Dum adhuc ſuperes & ſpiras, non immutabit te omnis caro. Melius eſt enim vt filii tui te rogent, quam te reſpicere in manus filiorum tuorum.* Et rurſum, *Eccleſiaſt. 30. Lacta filium tuum, & pauentem te faciet, lude cum eo, & contriſtabit te. Ne corrideas illi, ne condoleas, & in nouiſſimo obſtupeſcent dentes tui: non des illis poteſtatem in iuuentute, &c.* Quo fit, vt neque donationes in filiosfamilias valeant, *l. donationes quas parentes, de donat. int. vir. & vxor.* Huic rationi proxima tertia eſt, quod oporteat filios meritis magis, quam pactionibus ad obſequia paterna prouocare, *l. ſi quando, 35. §. illud, de inoffi. teſta. li. 3. C. tit. 28.* ad quæ iure naturę & gentium tenentur etiam inuiti, *l. 1. & l. liberto. de obſeq. a liber. & libert. parent. & patro. præſt. P.* Et ſi eius faciendi gratia quippiam acciperent, turpiter facerent, quum facere teneantur ſine pretio, *l. fin. de condict. ob turp. cau.*

17 ¶ † Quarta fouet concordiam fratrum, quæ, ſi liceret aliquem ex liberis pacto in hereditate præferre, ſolueretur; aliis illi, in quẽ collata eſt hereditas, inuidentibus, ipſiq; patri. Hincq; conflatum mortale odium in Ioſephum per fratres, quod patri magis dilectus eſſet, & veſtem pretioſiorem ab eo is accepiſſet, *Geneſ. 37.* Cain inuidit Abeli, & eum necauit, quod eius munera eſſent acceptiora Deo, *Geneſ. 4.* Hoc & docet Iuſtinianus, *§. & quod ſæpe nobis, de trien. & ſemi. in auth. col. 3. Frequenter,* inquit, *quidam plurimorum filiorum conſtituti patres, deinde putantes mox ſubſtantiam diuidere, vt a fraterno certamine illos præſeruent, ad maiores adhuc & ſeniores eos contentiones adducunt. Cum enim oporteret, ſi hoc vellent, aut aperte omnia diuidere in teſtamentis ſuis, &c.* Iura maxime in hac continenda fratrum concordia laborant, *l. fratris, C. de tranſact. c. oblatrones, c. nec ad Cain, c. ſtudendum, 90. diſt.* & multa eius gratia conſtituerunt, *vt in l. cum oportet, 6. in princ. & §. ſin autem eiuſdem, de bon. quæ libe. C.* & maxime ad ius ęqualitatis, poſt mortem patris collatione bonorum inducta, *tot. tit. de collat.* Deteſtatur dominus eum, qui ſeminat diſcordias inter fratres, *Prouerb. 6. c. abiit Iudas, 11. q. 3. In tribus,* inquit Eccleſiaſticus ſacer, *ca. 25. bene placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier ſibi bene conſentientes.* Suſtinetur & voluntas quæ pertinet ad diſcordias propinquorum, quæ ſuboriri poſſent, ſedandas, *l. cum pater, 79. §. dulciſſimis, de leg. 1.* Et ita oportet concordiam præferre lucro, *l. reprehendenda, 8. de inſtit. reſtitu. ſub condi. fact. C.* Addo, quod ſæpe filii, qui prædilectos fratres vident, impiiſſime commoti, & vitæ patris inſidiantur. Referre exempla vt abominanda ſuperſedeo, ſufficiunt quotidianæ ſeditiones in maioribus familiis & domibus ob hereditates, neſcio quibus moribus pacto delatas primogenitis, qui iam bonis tumeſcentes, ſenectam parentum ſuperba contumelia miſere torquent, & contemtu enecant, & fratres ſibi inimiciſſimos reddunt, *l. 3. de dona. int. vir. & vxor. P.* Verus amor proximorum, animis non præmiis, continetur: & profuſis liberalitatibus interit.

## Diſſolutio antinomiarum in pacto de hereditate viuentis. Cap. 5.

1 *Pacti de hereditate viuentis antinomiæ, & contrariæ rationes. & nu. ſeq.*
2 *Quæ hereditas communicanda in ſocietate.*
3 *Spes actionis & ſucceſſionis quomodo veniat in pactum.*
4 *Renuntiare ſuo priuilegio quando, & cui liceat.*
5 *Quæ pacta ſint ſeruanda.*
6 *Hereditas pupillaris num vendi poſſit, vendita per ſubſtitutum paterna.*
7 *Pactum de hereditate tertii viuentis quomodo valeat.*
8 *Donatio poteſt accipere conditionem, vt valeat poſt mortem donantis tantum.*
9 *Donatio omnium bonorum quando valet. & nu. ſeq.*
10 *Venditio omnium bonorum continet præſentia, non futura: ad vtraq; tamen hypotheca pertinet.*
11 *Confiſcata & publicata bona emi poſſunt, nomine eius a quo adimuntur.*
12 *Donatis omnibus præſentibus & futuris mobilibus & immobilibus, non cenſentur donatæ actiones.*
13 *Donatio omnium bonorum mobilium & immobilium cum reſeruatione valet: & num valeat ſi reſeruatus tantum vſusfructus.*
14 *Num talis donatio bonorum præſentium & futurorum ſine vlla reſeruatione valeat.*
15 *Pactum de ſuccedendo in dimidia parte hereditatis an valeat.*
16 *Hominibus etiam inuitis beneficium datur.*
17 *Affrayramenta quæ dicantur, & quomodo fiant, & num approbata.*
18 *Vxoris & viri affrayramenta quomodo facienda, & quatenus probanda.*
19 *Dotis augmentum quare minus habet in lucro, quam ſit dos Tholoſæ.*
20 *Donatio facta a marito diuite ignobili vxori nobili, vel a ſene iuueni, quare valet.*
21 *Hereditas ſine bonis corporalibus eſſe poteſt.*
22 *Bonus quandiu quilibet præſumatur.*
23 *Pactum de ſuccedendo inter milites cuius generis ſit.*
24 *Pactum de ſuccedendo iuramento non firmatur.*
25 *Fiſcus quo iure accipiat hereditatem ex pacto de ſuccedendo.*
26 *Beneficii vacaturi promiſſio quomodo valeat.*
27 *Donatio omnium bonorum eccleſiæ facta, quomodo recipiatur.*
28 *Rei alienæ donatio in præiudicium domini non fit.*
29 *Pactum de ſuccedendo, & de non ſuccedendo non ſunt contraria.*

ETſi † moris mei non ſit, obices & antinomias in ſingulis leuiter propoſitas referre, tamen quia frequens eſt quæſtio prędictarum pactionum de hereditate, quaſdam referam rationes, quæ negotium facere videntur improbationi pacti de hereditate viuentis.

Et primum obiicitur Vlpianus, in l. ſi quis ſeruum, 24. de actio. emt. li. 19. P. ti. 1. vbi ſi quis venditum ſeruum cum peculio manumiſerit, tenetur emtori non tantum nomine peculii, ſed etiam de his, quæ ſeruus acquirit poſtea. Quamobrem venditor manumiſſor cauere debet emtori, quidquid ex hereditate liberti, id eſt, ſerui manumiſſi, ei peruenerit, ſe ei reſtituturum. Vnde videtur hic probari pactum de futura ſucceſſione liberti viuentis. ſol. Verum in tillo textu non eſt pactum de liberti hereditate, ſed de iure iam quæſito ad ſuccedendum per ius patronatus manumiſſione, lege ſtatuente & quærente præmium patrono, vt liberto poſſit ſuccedere in aliqua portione ſi ei ſuperuiuat, §. *eo enim ipſo, de legit. patron. tute.* li. 1. *Inſtit. tit.* 17. §. 1. *& 2. de ſucceſſ. libert. lib.* 3. *Inſtit. tit.* 8. *l.* 3. §. *patronus, de bon. liber. cum ſimil.* Et potius eſſet ibi pactum de conſeruando iure per leges quæſito, etſi quid ex eo perueniat ad manumiſſionem, quam de ſucceſſione ipſius liberti. Et pactum hoc non eſt contra bonos mores: quia quod fieri poteſt per leges, poteſt fieri per pactum, *Vlpian. in l. non impoſſibile,* 51. *de pact. P.* Et hæc diſſolutio mihi placet, omiſſis quæ traduntur per Bartol. & Accurſ. *ad d. l. ſi quis ſeruum, de actio. emt. P.* Eodem modo tollitur l. ſi conſtante, 23. §. ſi vir vxori, ſol. matr. lib. 24. P. tit. 3.

2 ❡ † Secundo pugnare dicunt reſponſum Pauli, in l. 3. §. de illo, pro ſocio. in P. lib. 17. tit. 2. vbi valet hoc pactum, *Si qua iuſta hereditas alterutri ſociorum aduenerit, communis ſit.* Ergo de hereditate viuentis pactum valet. Ceterum, ego non video pactum ibi de ſuccedendo, ſed ſocietatis, de communicando ſi quid aduenerit ex hereditate. Et nemo dubitat ſocietatem omnium rerum fieri poſſe, præſentium & futurarum, *l. pro ſoc. P.* ſed non prius dicetur eſſe in ſocietate res, quam communicata fuerit, *l. ſi id quod quis,* 59. *eod.* & ita obtingente hereditate, poſtea fit tantum communicatio.

3 ❡ † Tertio faceſſere videtur, ſpem futuræ actionis poſſe venire in pactum, *l. 3. C. de donat. l. nec emtio, de contra. emt. l. pactum,* 47. *de pact. P. l. ſi actionem,* 25. *C. eod.* Ergo ſpem futuræ ſucceſſionis. Sed concluſio non reſpondet axiomati. Nam ſpes quidem certa iuris iam quæſiti, ſed cuius effectus ſuſpenditur, in pactum venire poteſt, *vt in l. nomina, & l. multum intereſt, de hered. vel act. vend. P.* Vt ſi conditione effectus ſolutionis, quæſitæ obligationis ſuſpendatur: nam & non adueniente adhuc effectu, verum eſt creditorem & debitorem eſſe contrahentes, *l. is cui, de actio. P. l. nec emtio, de contra. emt. P. l. ſi procuratoris, manda. P. l. in conuentionalibus, de verb. oblig.* At incertæ ſpei, nulla fides, nullave conuentio recte accedet, ſed temeraria, dicetur, & impia, quando de ſuccedendo alteri fit. Incertum enim eſt, num is de cuius hereditate quis paciſcitur præmoriatur, an qui pactus: incerta namque dies mortis, etſi moriendum eſſe certiſſimum ſit, *l. 1. de condit. & demon. P.* Et ita fieri poteſt, vt præmortuus teſtatori nihil quærat ſucceſſionis nomine, *l. fin. de hered. inſtit. P. l. vni,* §. *pro ſecundo, de cad. toll. C.*

4 ❡ † Quarto non pugnat, quod vnicuique liceat renuntiare iuri in fauorem ſui introducto, *l. ſi quis in conſcribendo, C. de epiſc. & cler. de pact. Cod. l. ſi iudex,* 42. *de minor. P.* §. *ſancimus igitur, nouell.* 136. & proinde licere debere, vt de ſua hereditate quis poſſit paciſci, renuntiando priuilegio. Nam in prohibitione ne fiat pactū de ſucceſſione viuentis, non tantum fauor renuntiantis, quātum publicus inſpicietur, & boni mores, odium contrahentium, & dolus futurus, qui remitti nequit pacto, *in l. ſi vnus,* §. *illud nulla pactione, de pact. P. l. 4. de li. cau. P.* Neque auditur perire volens, *l. non tantum, de appell. P. l.* 1. §. *nec ſi, de lib. cau. l. cum hi, de tranſ. P. vide caſus in l. pactum,* 4. *de pact. P. in ver. cum liceat.* Vt neque conuentiones, quæ inducunt ad delinquendum admittuntur.

5 ❡ † Quinto argumentum leue eſt, pacta ſeruanda eſſe, *l. conuenire, de pact. dot. P.* & ab initio liberum fuiſſe contrahere, & inito contractu impoſitam eſſe neceſſitatem obſequendi conuentis, *l. 1. de pact. P. l. 1. de conſti. pecu. l. fratris, C. de tranſ. cum ſimilib.* Nam hoc quidem obtinet, ſi iuſta pacta ſint, nec legibus vel bonis moribus repugnent, *l. ſicut, C. de actio. l. velles nec ne. C. de reuocan. dona. l. in commodato,* § *ſicut, commod. P. l. quod ſemel, de reg. iur. cum ſim.* vt illud de quo agitur.

6 ❡ † Sed ſexto loco magis vrgere videtur l. 2. §. illud, de hered. vel act. vend. vbi vendita hereditate paterna, pupillaris quoque vendi poteſt. At nodus illius §. conſtituitur in verbo, *maxime,* ibi poſito, dum ſcriptum eſt, *Vendita hereditate patris teſtatoris, non venire impuberis hereditatem, quia alia hereditas eſt: licet enim vnum teſtamentum, tamen alia hereditas eſt. Plane ſi hoc actum ſit, dicendum erit etiam impuberis hereditatem in venditionem venire: maxime, ſi iam delata impuberis hereditate, hereditas venierit.* Accurſius ad illum §. exiſtimat, verbum, *maxime,* redundare, vt alibi, *l. iuriſgentium,* § *prætor ait, & l. contra iuris ciuilis regulas, de pact. P. l. pacta quæ contra. C. eod. l. ſi in emtione,* §. *omnium, de contra. emt. P. l. quemadmodum, de agricol. & cenſi. lib. 11. C.* & contextum intelligi non valere venditionem pupillaris hereditatis non delatæ. Ego ſententiam Accurſ. probo, ſed *maxime,* non puto abundare, imo exprimere mentem. Et verba, *maxime ſi iam delata ſit impuberis hereditas,* explicanda pro vtique, ita, ſolum & tantum, ſi delata ſit, & non ſi ſit, viuentis pupilli, *vt in l. fin. de teſt. manumiſ. lib. 7. C. tit.* 2. Sic Terentius in Eunucho,

*Tu Parmeno huc fac illi adducantur. P. Maxime.*

Monent & alii interpretes, verbum *maxime,* pro tantum aliquando accipi, nec ſemper correctiue poni, *gloſſ. fin. in cap. cum olim, de teſtib. & in cap. per tuas, in 1. de ſimo.* Meminit & Arnoldus Ferronus, *in conſuetu. Burdega. ad* §. 1. *de ſta. perſon.* ſic explicatum fuiſſe verbum *maxime,* poſitum in cap. noli, 23. q. 1. in condemnatione Corradini regis, capti per Carolum Siciliæ Neapoliſque regem. Quemadmodum antea Hugolinus. Et hæc mihi videtur germana interpretatio §. illud, vt opus non ſit aliis diuinationibus, quas gloſſa & interpretes comminiſcuntur.

7 ❡ † Sexto obiicitur l. fin. in verſ. ſecundum veteres, de pact. in P. dum dicitur, pactum de hereditate tertii viuentis factum, valere, ſi is conſentiat, de cuius hereditate pactum eſt. Et iniuria vel dolus volenti non infertur, *l. cum donationis, C. de tranſact. l. venditor, C. de reſcin. vend. l. 1. in fin. de actio. emt. P. l. nemo videtur, de reg. iur.* Sed ibi, iure pacti non defertur ſucceſſio, nam non licuiſſet variare teſtatori: Sed iure voluntatis vltimæ domini, qui ita perſeuerauerit & voluit fieri in vltima voluntate, vt lex ait.

8 ❡ † Octauo argumentum trahitur a l. ſcrupuloſam, 11. de contrah. vel commit. ſtipul. lib. 8. Cod. titu. 38. §. poſt mortem, de inutil. ſtipul. l. quodcunque, §. 1. & fin. de verb. oblig. l. 1. vt actio ab hered. & cont. hered. Ceterum probo quidem donationem ea lege factam, vt poſt mortem donantis donatarius res capiat donatas: Sed ibi non eſt pactum de futura hereditate, vel de inſtituendo, ſed eſt donatio cōditionalis, valida ſtatim, vel ſi mortis cauſſa ſit, licet pœnitere ſecundum propriam naturam, *l. vbi ita donatur, de donat. cauſſ. mor. l. perfecta. C. de donat. quæ ſub modo.* Eodem fere modo tollitur, quod aiunt, donationem omnium bonorum valere in vita, *Paul. in l. mulier bona omnia,* 73. *de iur. dot. l. nulla, C. eod. l.* 1. *ibi vniuerſæ, &c. de vſuc. pro dote, C. l. omnes,* §. *Lucius, de his quæ in frau. cred.* quæ inſtat eſt dationis hereditatis, & pacti de ſuccedendo: hereditas eſt ſucceſſio in vniuerſum ius, *l. hereditas, de reg. iur.* Etenim aliud eſt donare, aliud promittere heredem inſtituere, vel pacto dare hereditatem. Sic Odofredus, *ad l. fin. in fine, C. de pact. non poteſt,* inquit *fieri vt quis habeat bona alicuius per formam teſtamenti: ſed facere poteſt per ſtipulationem, quod patruus ſuus promittat poſt mortem ſuam donare ei omnia bona. Valet enim hæc donatio, quia non prohibetur teſtari vel heres habere: & heredes eius tenebuntur ei dare & tradere ex ſtipulatione, & hic eſt caſus, quo incipit contra heredem actio, quæ non incipit contra defunctum, vt Inſtit. de inutil. ſtipulat.* §. *poſt mortem, & l. 1. vt actio. ab hered. & con. hered.*

9 ❡ † Neque etiam abſolute verum eſt, donationem omnium bonorum valere. Quinimo Bartolus, *conſi.* 76. cōtrarium probat, tueturque donationem omnium bonorum præſentium & futurorum, reſeruato vſufructu ſeu omnibus fructibus, improbam eſſe, veluti adimentem liberam diſponendi facultatem. Idipſum concludit Paulus Caſtrenſis, *conſil.* 82. *num.* 6. *in* 2. *volum.* & addit, neque huiuſmodi donationem iuramento firmari: quod non ſit obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum, *cap. non eſt obligatorium, de reg. iur. in* 6. Quæ quia quotidiana ſunt, vt intelligamus facilius, diſtinguamus: aut primo donantur ſimpliciter omnia bona, & hoc caſu valet ſiue inter viuos ſiue mortis cauſſa ſit, quia non adimitur per eam diſponendi facultas, *Bart. in l. ſtipulatio hoc modo concepta, num.* 5. *&* 6. *de verb. oblig.* cum intelligatur facta de omnibus præſentibus, non de futuris: De quibus diſpoſitio relinquitur libera.

10 ❡ † Vt contigit in venditione omnium bonorum, qua tantum continentur præſentia, non futura, *Guil. Benedict. in cap. Raynut. ad verb. duas habens filias, num.* 205. *de teſta.* notat idipſum gloſſ. prima l. fin. qui potior. in pign. hab. Quæ tamen lex contrarium ſtatuit in hypotheca, in qua obligatio omnium bonorum ad futura quoque porrigitur: diuerſa ratione, quia hypotheca non transfert in quenquam dominium, quod ſemper remanet penes de-

nes debitorem, l.pignoris, de pign act. C.l.reſcriptum, de diſtract.pigno.l.quis ſit fugitiuus, § pignori, de ædil.edi. P.l generaliter, qui & a quibus manumiſſ.lib.non fiant. & ratio pignoris conſtituendi, quæ habet locum in præſentibus bonis, habet locum & in futuris, nempe vt cautum ſit ipſi creditori conſeruanti ius ſuum ſine pręiudicio debitoris. At in donatione omnium bonorum, ad futurum extendi nequeunt propria vi illa verba, dono tibi omnia bona mea: nam verbum, mea, reſpicit præſens tempus, quod eſt tempore actus, non futurum, l.ſi ita, 8. & ibi Paul. Caſt. de aur. & arg.

11 leg. ¶ † Atq; ſi bona alicuius publicantur ſimpliciter, ea quæ poſtea quæruntur, non veniunt in publicationem, nec ſequuntur fiſcum. Idcirco is, cuius bona publicata ſunt, poteſt mandare alicui, ea ſuo nomine iterum emere, l.ſi mandauero, 22.§.is cui bona, mãd. P. facit l.fi.§.qui indiuiſa, de lega. 2.l.actione, §.ſi poſt, pro ſoc. in P. Sed ſi ſecundo loco fiat donatio præſentium & futurorum mobiliũ, & immobiliũ, nulla mentione facta nominũ ſeu debitorũ, tunc & donatio valet: quia nõ cenſentur donari actiones vel iura, quę in conſtitutionibus habent ſeparatam ab aliis naturã & nominationem, l.mouentium, de verb.ſignif. l, a diuo Pio, §.in venditione, de re iudica. P. & ibi Bart. & Al. Et ita tradit Guido Pap. q.314. in fine

12 & 499. ¶ † Quanquam in inſtitutione & relicto omnium bonorum, mobilium & immobiliũ, contineantur & iura & actiones, propter neceſſitatem inſtitutionis, l.1.§.ſi ex fundo, de her.inſt.

13 P. ¶ † Aut ſi, 3. loco, donatio fiat ſimpliciter omnium bonorum præſentium & futurorum, nulla adiectione mobilium & immobilium, ſi ea habeat aliquam reſeruationem, valebit: quia per eam non adimitur teſtandi facultas. Ceterum, pugnant interpretes num ea valeat, in qua donans ſibi tantum reſeruauit vſumfructum: communis tamen opinio eſt valere, pro ea facere videtur cap.fin.quicunque, 17.q.4. At Paulus Caſtrenſis, conſi. 82. num. 6.2.volu. & Bartolus, conſil.76.to.1. & in l.ſi fratres, §.idem reſpondit, num.3, pro ſoc. P. in contraria ſunt ſententia. Nicolaus Boerius autem, deciſ.204.num.36. ſcribit, in donatione omnium bonorum vſufructu retento, videri probam donationem, & donãtem poſſe diſponere de bonis acquiſitis ſua induſtria, vel ex vſufructu retento: quia tale pactum, inquit, non porrigitur ad illa poſtea quæſita, l.ſi ita, de auro & argen.leg. Iaſ.in l.ſtipulatio hoc modo concepta, de verb.oblig. Ægid. Bellamera, conſ.17. Ait inſuper Boerius, præd. 204.dec.num.7. hoc ipſum locum habere, quando quis ſine vlla retẽtione vſusfructus donat omnia bona ſua poſt mortem ſuam, quia tunc tacite videtur facta vſusfructus reſeruatio, vt voluit gl. in titulo de ſublatione clementinæ literis, in verb. quicunque, in pragmat. Sanctio. Quod tamen intelligi debere monet, niſi qui ita dedit, dixit, ſe donare omnia præſentia & futura: quia tunc inquit, non valet ſine retentione, quod diſponendi præcludatur facultas, nec intelligatur reſeruatus vſusfructus, nec de eo diſponere potuerit, quia morte finitur, l.vxor patrui, C.de lega.§ finitur, de vſufruct.l.2.§.morte, quib.mod. vſusfru.amit.

14 ¶ † Quod ſi, quarto loco, donatio facta fuerit præſentium omnium bonorum, & futurorũ, ſine vlla reſeruatione, nulla proculdubio cenſetur gloß.ad titu.de ſublat.clemen.literis, in prag.ſanctio. vt adimens diſponendi facultatem. Baldus tamen mediam quandam viam ſequitur, & ait his verbis. *Pone quod eſt adiectum in donatione de futuris, videtur & donatio valere: quia futurorum non eſt translatum dominium, de quo potero teſtari, licet ſim obligatus, l.apud Iulianum, §. ſi Titius, de lega.1. vel ſecundum alios, donatio præſentium & futurorum, reſpectu præſentium valebit, non futurorum: vt vtile per inutile non vitietur l.Sancimus, C. de donatio. l.ſi peculium, §.1.de pecul.l.1.§.pen. & l.ſi mihi & Titio, de ver oblig.*

15 ¶ † Addit & Baldus, ad l.fin. C.de pact. verſ. ſed ſi quis donat, vt ſi quis donat dimidiam partem hereditatis, in ea includantur futura, & donatio valeat, quia ea parte ſubducta, relinquatur teſtandi in reliquo facultas: citat ad hanc rem l. Lucius, de fun inſtruct. P. & l.item veniunt, §. fructus, de petit. hered. Diſplicet tamen mihi hæc ſententia, atque pactum etiam de ſuccedendo in dimidia hereditatis parte reiicio, quod pertinet ad iura ciuilia ſcripta: nam de conſuetudine paulo poſt aliter ſeruatum oſtendemus. Expreſſum enim eſt, hereditatem nec pro parte, nec in totum dari poſſe pactis, l.hereditas, de pact. conuen Cod.l. quæ de tota, de acquir.hered.l.pactum dotali, Cod. de pact. Si quis tamen velit dicere valere donationem mediæ partis bonorum omnium præſentium & futurorum, non negabo. Et hæc hactenus de explicatione 9.argumenti.

16 ¶ † Decimo pugnare videtur, non eſſe reſcindendum pactum de futura ſucceſſione in fauorem donantis, vt poſſit teſtari, aut propter metum mortis illis inferendæ, eo quod ipſe ſibi metum hunc impoſuit, & ideo metus illius non habetur ratio, l.ſi mulier, 21.de eo quod met.cau.P. nec ſuccurritur ei, qui ſe ſponte expoſuit neceſſitati periculi, l.3.§.ſubuenitur, ad Sena.Syllan.l.ſi fideiuſſor, §. pen.qui ſatiſd.cog.l.2.§.ſi tamen quis, ſi cautio.iud.ſiſt.cau.fa.non obtem.P. Sed obuiam huic rationi itur, dum quidem miſerandum non eſſe admittimus eius, qui ſe in periculum cõiecit, ſi de iactura patrimonii agitur: at ſi de conſeruanda vita agatur, etiam inuito beneficium & remedium adhibendum eſt, l.non tantum, de appella.P. propter cognationem hominibus communem, l.vt vim, de iuſti. & iure, P. propter quam intereſt hominis, vitam homini conſeruari, & hominem affici beneficio, l.ſeruus ea lege, de ſer. expor.P. Neque homo tantum ſibi vel proximis, ſed etiam vſui totius reipub. naſcitur & moritur, l.poſtliminium eſt ius, de capti. & poſtli.reuerſ. & qui curat hominum ſalutem, non tantum ſuam, ſed etiam reipub. curat.

¶ † Vndecimo obiicitur, valere fraternitates & pacta, quæ 17
dicuntur *affrayramenta*, quibus inter ſe aliqui paciſcantur licite: vel vir & vxor, vt communes ſint in acquiſitionibus tam præſentibus quam futuris, donando ſuperſtiti omnia bona ſua ſi ſine liberis decedat alter, reſeruatione tantum alicuius facta pro iure teſtandi. Et ita probari hanc pactionem autumant interpretes, l.1.§. quamuis, de vent.inſpic. P. Atque Oldradus receptum eſſe ait, Boer.deciſi. 345. nume. 3. Signorol. de homod. in conſil. 185. incip. pactum ſic ſe habet. Idem Boer. in §. 1. de conſuet. Matrimon. & Boerii, in conſuet. Biturig. pactum, illudque firmum, quo fratres inter ſe conuenerunt, vt ſi quis decederet ſine liberis vel libero altero ſuperſtite, alter haberet certas res de bonis illius: quia, inquit, quis in morte ſua, bona ſua, aut partem eorum, donare poteſt, Oldra.conſi. 13. quod incipit, ad habendum aliquantam notitiam, & conſil. 5. & 139. Hanc quoque ſententiam ſequuntur Ioan. Andr. l. ſcrupuloſam, de contr.ſtipul. C.§.poſt mortem, & §.ſequ. de inutil.ſtipul. Albericus de Roſa. Salyc. & Iaſon, Ioan. Andr. in addit. ad Specu. ad tit. de inſtru.edit. §.porro, col.fi. verſ. fuit alia quæſtio, de facto. Alexand. Alber. Salyc. & Iaſ. in l.fi. C.de pact. & Guiliel. Benedict. Alex. in l.licet inter priuatos, eod. qui & alicubi, Guil. Bened. ad cap. Raynutius, ad verb. duas habens filias, num. 199. & 200. loquitur plenius, de hoc pacto & ſocietate recepta agricolarum, vxoris & mariti.

¶ † Iſtius nodi diſſolutio eſt, non iure teſtamenti, vel pacti de 18
ſuccedendo, hanc conuentionem eſſe receptam affrayramenti, ſed iure reciprocæ donationis, vel iure donationis poſt mortem effectum ſortituræ: neque enim donatio omnino reſpuit ſubſtitutiones, Idem ad verb. & vxorem nomine Adelaſiam, in 5. & vlt. art. vbi agit de diuerſ. agricolarum. Et videtur l.licet inter priuatos, C. de pact. admittere reciprocam de ſuccedendo poſt mortem pactionem. Sed neque affrayramenta hæc admittimus iure ſocietatis, cum ſocietas morte dirimatur, l. quoties, C. de donat. quæ ſub mo. affrayramentum autem poſt mortem extendatur. Quanquam ſocietas ſit ſpecies fraternitatis, l.ſi fratres, §.idem reſpondit, pro ſoc. P. pendente vita ſociorum, l.verum, eod. Sed & defendit Ioan. Berberius, in directorio iur. ti. de ſocieta. fol.73. & ſeq. affrayramenta non eſſe perpetuo & ſimpliciter recipienda, quando inter virum & vxorem fiunt de dote, quæ maior & donatione propter nuptias, quam maritus contribuit affrayramento, ſi ea ſit minor & inæqualis valde: ne decipiatur mulier amplam dotem habens, ab inope marito. Nam quamuis iure Codicis Iuſtinianei, l.ſi conſtante, C.de dona.an.nupt. voluntarium fuiſſet, æqualitatem conſtituere cum dote & donatione propter nuptias, tamen iure nouellarũ, §.hæc igitur, de inæq. don. in auth. coll. 7. auth. act. æqualitas, de pa.conue. C. omnino æqualitatẽ ſeruandã ſtatuitur. vt pactũ de lucrãda alterutra, vel dote, vel donatione propter nuptias, adueniente alterutrius morte locũ habeat. Atque Berberius reprehendit gl. ſententiam in auth. æqualitas, de pact. conuent. C. quæ per conſuetudinẽ diuerſum conſtitui poſſe tradit, tanquã corruptelam: & reducendam inæqualitatem vult ad æqualitatẽ, ita tamẽ quod vtile per inutile, quod plus eſt & ab ęqualitate reiicitur, nõ vitietur, per l.ſancimus, C.de don. c.vtile, de reg.iur. in 6. l.ſiue generalis, de iure dot. in P. læſo tamen ſuccurratur, nec liceat per obliquum per affrayramentum, quod de iure prohibetur, arg. cap. cum quid, de regul.iur. in 6. l. non dubium, c. de leg. leg. fin. de rebus alien. non alienand. Cod. ¶ † Excipio tamen conſuetudines 19
quæ prætendunt aliquam iuſtam rationem. Sicuti Tholoſæ, in dote lucranda ſi præmoriatur vxor, & donatione propter nuptias, quam vocamus adiaucamentum, ſi præmoriatur vir,

inæqualitas quidem videtur arithmetica: nam donatio propter nuptias media pars dotis eſt, quam tantum repetit cum dote vxor vidua. Verum ſi inſpiciamus onera, quæ ſuſtinet maritus ſolus, qui res curat patrimonii ſolus: nec enim Tholoſæ mulieres publice negotiantur, vt acquirere poſſunt & iuuare in labore maritos, vt Lutetiæ & alibi, vbi affrayramenta fiunt: item ſi conſideres digniorem ſexum maſculi, *l. 1. de Senato. P.* Intelligimus fieri æ-
20 qualitatem geometricam, & ſecũdum dignitatem. ¶ † Quemadmodum & placuit virum ditiorem ignobilem tamen, ducentem vxorem nobilem pauperem, poſſe donare etiam pendente matrimonio ei vxori: & eſſe non tam donationem ſimplicem, quantum remuneratoriam communicatæ nobilitatis. Idipſum obtinet, ſi ſenex vir iuuenem vxorem accipiat, & ei donet, *Boer. in §. 1. de conſue. matri. in conſ. Bitur. Bart. & Iaſ. in l. ſi ita ſtipulatus, 93. §. ſi tibi nupſero, de verb. oblig. & l. diuortio, ſolu. matr. Abb. Panor. in cap. de illis, de condi. appoſ. & in ca. gemma. col. 3. de ſponſal. Socin. in l. 1. col. 15. ſol. matr.*

21 ¶ † Duodecimo, impugnatur ratio prohibitionis, quę volebat pactum de ſuccedendo ideo prohiberi, quia non relinqueretur libertas diſponendi, iam pacto a ſe abdicatis omnibus bonis: ex eo, quod ſine bonis corporalibus hereditas conſiſtere poteſt, & heres inſtitui, *l. hereditas, de petit. her.* & qui non habet bona, teſtari poſſit, *l. lex Cornelia, de vulg.* Sed hoc argumentum fallax eſt in eo, quod non animaduertatur, pactum de hereditate concludere tranſlationem non ſolum corporum, ſed etiam iurium paciſcentis: quia, vt ſæpe monui, hereditas eſt ſucceſſio in vniuerſum ius, *l. hereditas, de reg. iur.* & proinde ſi iam omnia & corporalia tranſlata pacto fuerint, nihil eſt reliquum, de quo paciſcentem poſſe diſponere dicas.

22 ¶ † Decimotertio, inſtat non eſſe præſumẽdum ex hoc pacto, metum, captandæ mortis: quia neque caſum aduerſamque fortunam exſpectare, naturale, neque ciuile eſt, *l. inter ſtipulantem, §. ſacram, de verb. obl.* Et quilibet bonus præſumitur, donec manifeſtum, *l. merito, pro ſoc. P. ca. fin. de præſumt.* contrarium ſit. Et quanquam l. Cicero, de pœnis, referat inſidias cõtigiſſe aliquando, tamen vna hirundo non facit ver, nec exemplis, ſed legibus iudicãdum, *l. nemo, de ſent. & interlo. omn. iud.* nec iura aptari debent ad ea, quæ raro accidunt, *l. iura conſtitui, l. ex his, l. nam ad ea, l. iura non in ſingulas, de legibus. P.* Neque tollenda bona ſunt, quod aliquando quiſpiam his abutatur: nihil enim tam ſanctum, quin aliquando non violet audacia, & adſunt leges quæ caſtigent improbos. Soluo retorquendo ipſum argumentum, quod quia nec ciuile nec naturale eſt, exſpectare caſum aduerſamque fortunam: ergo neque ciuile eſt, pactum hoc admittere de futura ſucceſſione, quia per hoc quis exſpectat caſum & aduerſam fortunam paciſcentis, nempe eius mortem. Atque præſumtio bonitatis ceſſat, vbi apparent malitiæ teſtimonia: quale illud, cogitare de hereditate viuentis. Neque vnum ſupereſt exemplum eorum, qui amoliuntur bonorum cauſſa mortem poſſeſſoribus. Et l. Cicero, vno relato contentus fuit, vt ſanciret plura omittens: alioquin lex non eſſet, eſt autem: ergo non de raro cõtingenti lata per eaſdem probationes, quibus leges ſubſiſtunt, de tritis & non de raro contingentibus. Et proni ſunt ſenſus & humana cogitatio omnis ab adoleſcentia ad malum, *Geneſ. 8. ca. omnis ætas, 12. q. 1.* Procliuis curſus ad voluptatem, nutrix natura vitiorum, *ca. procliuis, 20. q. 1.* vt expediat viam præcidere potius malis, quam experientiam exſpectare. Et melius ſit in tẽpore occurrere, ne malum fiat: quam poſt acceptum vulnus mederi, *l. fui, in quib. cauſſ. in integr. reſtitu. non eſt nec c. l. 1. quan. lic. ſine iudi. ſe vindic. C.*

23 ¶ † Decimoquarto, pugnat l. licet, C. de pact. vbi quamuis pactum non valeat inter priuatos de ſuccedendo, tamen inter milites fratres receptum eſt, ſi mutuo fiat. Sed illa l. inter milites quidem probat pactum non indiſtincte, ſed quando in procinctu fit: nec iure quidem pacti, ſed iure vltimę voluntatis militaris, in qua remittuntur iuris ſolemnia, *l. milites, de milit. teſt. C. l. diuus, de teſt. milit.* Et ita tria ibi concurrere nota, quod in diſcrimine belli fiat negotium, 2. quod reciprocam contineat donationem, & ita põderat Georgius Natha, *in rep. c. quamuis pactum, col. 18. verſ. ſecundo fallit, de pact. in 6. facit l. ſi pater puellæ, C. de inoff. teſtam.* 3. quod perſonæ fratrum ſunt, qui de conſeruanda potius familia integra poſteris cogitaſſe videntur maiorum. Qui caſus hodie ſufficiens viſus eſt ad conſeruandum pactum de futura ſucceſſione, etiã ab aliis quam militibus factũ, vt ex profeſſo docet Nicolaus Boerius, *q. 355. nu. 2. & 3.* Baldus etiam, in d. l. licet, recte tuetur, ibi agi tantũ de vltima voluntate militari, quæ propter imperitiam militũ pa-
ctum dicitur, ratione mutuæ inſtitutionis factæ. ¶ † Non faceſſit 24
15. ca. quamuis, de pact. in ſex. vbi pactum, de ſucceſſione cum filia factum valet, ſi iuramẽto firmetur. Ergo inquiunt, & in noſtro caſu valebit quoq;, accedente ſaltem iuramento: quod & voluit Bald. *in § moribus, ſi de feud fuer. controu. int. domi. & vaſal. in vſib. feudo.* Nam diuerſa ſpecies c. quamuis, quæ de pacto de non ſuccedendo loquitur fauorabili, & ex quo potius euitatur inferendę mortis ſuſpicio: vt concluſio Baldi ad ſeparata, non recipiatur. Et contra Bald. etiam eſt glo. *in l. fin. §. illud, de inoff. teſtam.* & gloſ. *in l. pactum, C. de collatio.* quam etiam ibi ſequitur Bald. in ſexta oppoſitione. Neque eſſe poteſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum, *c. non eſt obligatorium, de reg. iur. in 6. l. ſi quis inquilinos, §. fi. de leg. 1. l. non dubium, C. de legib.* Atque hic facile diſcedo a ſententia & perfugio Imolæ, qui cum Baldo putat fictione iuris ciuilis, contra mores cenſeri pactum de ſuccedẽdo: & ideo alia præſumtione ciuili, iuramẽto poſſe recipi. Siquidem falſus is eſt, cum non iuris ciuilis regulis, ſed gentium expreſſe dictum ſit, contra bonos mores eſſe, *l. quidam in iure, de donat. in P.*

¶ † Mouet adhuc dubium 16. loco, quod fiſcus auferat ab illis, 25
qui ex hoc pacto nacti ſunt hereditatem, *l. quidam, §. fin. & l. 2. & l. fi. de his quib. vt indi. P.* Vnde videtur pactum valuiſſe, & illos acquiſiuiſſe. Ceterum, exiſtimauit Baldus, *ad l. fin. in 4. oppoſit. C. de pact.* iſta pacta quidem valere in præiudicium paciſcentium & vtilitatem fiſci non vi pacti, ſed delicti, *per l. his tamen, §. 1. famil. erciſc.* Ego tamen non admittam, pactum vllo modo valuiſſe: Sed dico adimi hereditatem, de qua pactum eſt, ab eo ad quem etiam alio iure quam pacti peruenit, & illud expreſſe refertur in d. §. fin. l. quidam in iure, de donat. P.

¶ † Minus 17. faceſſit, receptum eſſe a ſucceſſione hereditaria 26
ad ſucceſſionem beneficiorum argumentum, *c. 2. de conceſſ. præb. in 6. c. 2 eod. apud Greg.* & quod promiſſio de conferẽdo beneficio primo vacaturo valeat, *c. accedens, eo. ap. Greg.* & quod receptus in canonicum cum literis exſpectatiuis, & promiſſione primę vacaturæ præbendæ, recte petit vacantem etiam præbẽdam per mortem, *c. relatum, de præb.* Nam illa intelligẽda ſunt de promiſſione beneficii incertæ perſonæ, alioquin inſtitutio in viuentis beneficium inutilis, c. 2. de conceſſ. pręb. Multis etiam modis poteſt etiã beneficium vacare, & alio modo, quam per mortem, & ideo votum mortis ex promiſſione vacaturi beneficii non imminet: hacque ratione defenduntur literæ de prouidẽdo & mandata, & reſeruationes, *c. ad aures, c. cum ades, de reſcrip. c. fi. de præb.* Multa etiã licent contenta ſub genere, quæ in ſpecie concedi nequeunt, *c. ſi Sacerdos, de off. ordi. c. quanquam, 25. diſt. c. non poteſt, 23. q. 4. l. 1. §. qui quæſtionem, de q.* Et non expreſſa non nocent, quæ expreſſa nocere ſolent, *l. nonnunquam, fi. de condit. & demon. P. l. actus, & l. expreſſa, de reg. iur. l. ſi quis Sempronium, & l. captatorias, de her. inſt.* Et Horatius innuit, *lib. 1. Epiſt. ad Seuam, 10. epi.*

*Sed tacitus paſci ſi poſſet coruus, haberet*
*Plus dapis, & rixæ multo minus, inuidiæq;.*

¶ † Decimooctauo dicunt, omnia bona aliquem donare poſſe 27
eccleſiæ, auth. ingreſſi, de ſacroſ. eccleſ. C. Tuetur & Bald. valere promiſſionem de inſtituenda eccleſia, *Bald. in l. fin. C. de pact.* Sed quod pertinet ad donationem, ea regulanda eſt per leges donationis omnium bonorum, de quibus antea dictum. Quod autem Bal. tradit, negatur: quia minus fauetur piæ cauſſæ, quam filio, dũ de hereditate deferenda agitur, *c. quicunq;, 17. q. 4. gl. in l. ſi quis ad declinãdam, de epiſ. & cle. in ver. ſimili modo.* Pactum autem hoc in fauorem filiorum admittitur, *l. pactum quod doli, de pac. C.* Neque igitur in fauorem eccleſiæ.

¶ † Leuiſſimum eſt 19. quod pactum de re aliena fieri poſſit, 28
vt emtio, *l. rem alienam, de contra. emt.* Nam illud pactum præiudicium non adfert domino. Plura his ſimilia adferri poſſunt, quæ tamen facilem habent enodationem, & per ſe palam faciunt non pertinere ad pactum de futura ſucceſſione hereditaria. Et quod dicunt argumentum a contrario ſenſu valere, & pactum de non ſuccedendo improbari. Ergo & probandum pactum de ſuccedẽdo. Nam hæc contraria non ſunt ad idem & ſimiliter. Sed vtrumque reprobatur, quia vtrumq; extremum vitiorum: & nullo modo dari ſucceſſio vel prohiberi pacto iure ciuili poteſt, ſed tantum teſtamentis & aliis legitimis modis.

## Examinantur quædam antinomiæ, de pacto ſuccedendi inter patrem & filium. Cap. 6.

1 *Pactum de ſuccedendo num valeat in fauorem filiorum examinatur, & nu. ſeq.*

2 Succeſſio

3 *Succeſſio pacto & lege diuerſo modo defertur.*
4 *L.& ſuum heredem,diſſolutio.*
5 *Primogenitis vt ſuccedat,num pacto effici poſſit.*
6 *Tanquam filium aliquem habere promittens,quid promittat.*
7 *Pater donare etſi poſſit filio, tamen non poteſt pacto relinquere hereditatem.*
8 *Diuiſio bonorum facta inter liberos a patre, quomodo rata habetur.*
9 *Filii quomodo pendente vita patris dicantur eſſe domini bonorum patris.*
10 *Hereditas pactone potius ſuis,quam extraneis relinqui poſſit. Et num donatio facta coniuncta perſonæ,ſit irreuocabilis.*

1 DIctum † eſt in axiomate prohibitionis pacti de ſuccedendo, hoc ipſum locum habere in pacto de ſuccedendo cum patre & filio facto. Tamen ambiguum & nimium crudele videtur ſtatutum pluribus rationibus,quas explicare operæpretium eſt.

Primum,quod verendum vel metuendum non ſit, filios patri inſidiaturos,vel contra patrem filiis, ob ſucceſſionis anticipandæ ſpem:tantum enim eſt inter hos neceſſitudinis vinculum, vt nexus diuinus a Deo inter hos conſtitutus dicatur,*l.cum in adoptiuis C.de adoptio.*& pro perſona eadem ſint,*l.fin.de impub. C.*& eadem vox,§.*ei vero.de inutil.ſtipula.*Et quod ad patrem pertinet, magis terretur in periculo filii, quam in proprio, *l.iſti quidem. 8. quod metus cau.in P.§.ſed & veteres. §.fi.de noxa.actio.apud Iuſtin.*Et cõſilium ſæpe capit ſemota atrocitate pro liberis,*l. nec in ea lege. 22. §.fin.ad le.Iul.de adul.P.l.diuus Adrianus.5.ad legem Pomp.de parr. P.*vtpote eius affectus,vt nullus extraneus ei comparari poſſit,*l. conſilio,de cura.furio.C.*Et vt ait Sophocles in Electra.

*δεινὸν τὸ τίκτειν ἐστὶν, οὐδὲ γὰρ κακῶς*
*πάσχοντι μῖσος ὧν τέκῃ προσγίγνεται*,id eſt,
*Magna eſt vis procreationis,nam neq; ſi mala*
*Patiatur aliquis,prolem a ſe genitam odiſſe poteſt.*

Hoc beneficio affecti filii, & pariter natura redamant parentes,& ſi quando contingat filios inſurgere in parentes,perraro fit: vt Solon quoque conſulto legem ferre de parricidiis omiſerit hac ratione,*Plut.in Solone.* Et creditum eſt, iura ſanguinis nullo iure ciuili dirimi poſſe,*l.ius autem agnationis, de pact. in P. l.iura ſanguinis,de reg.iur.*

2 ¶ † Ceterum iſtæ præſumtiones,rerum euẽtu ſæpe eliſæ ſunt: & tantum potuit auri ſacra fames,vt leges naturæ perfregerit. Videnturque ſæpe matres propriorum liberorum vitam, ſecundis maritis cum bonis addicere,*l.lex quæ tutores.de adminiſt.tuto.* Et ob nimiam parentum ſæuitiam, ſublata vitæ necisque in eos poteſtas,*l.fin.de pat.pot.C.* Inductæq; pœnæ parricidarũ, & metu ne filii in patres inſidias mortis amolirentur,prohibitum eſt mutuũ dare filiisfamilias,*l.1.ad Senat.Macedo.*Secundo,difficilis ratio eſt pro filiis.Quod fit per legem,per pactum fieri poteſt,*l.non impoſ-*
3 *ſibile.51.de pactis.P.* At † lege deferuntur ſucceſſiones filiis, ab inteſtato decedentibus parentibus,vt palam eſt, §.*inteſtatorum, de here.quæ ab int.defer.apud Iuſti.§.ſui, de hered. qual.& differ.l.1.§. pen.& fi.& l.2.de ſuis & legit.here.in P.titu.de hered.ab int.veni. in authen.cum ſimilib.*Sed & hæc claudicat,quia non eodem modo defertur ſucceſſio per legem,quo per pactum: lex namq; defert, vt ſuppleat defuncti voluntatem: pactum vero illam extinguit, ne locum habere poſſit.

4 ¶ † Minus 3.ad rem facit l. & ſuum heredem, 8. §. id probat, de pact.in P.Quia ibi pactum pertinet ad futuram ſucceſſionem: Sed illud non eſt de ipſa ſucceſſione futura querenda,vt liquet ex contextu legis.

5 ¶ † Quarto,videtur pactum,vt filii ſuccedant parentibus,non eſſe contra bonos mores:quia ſtatutis & conſuetudine non recipitur,quod contra rationem naturalem & bonos mores eſt, *l.2. quæ ſit longa conſuetudo,c.conſuetudinis.11.diſt.c.ſi de conſue.* Recipitur autem conſuetudine,vt primogenitus patri ſuccedat,etiam in Gallia,*Maſuer.§.item licet inſtitutio teſtamentaria de ſocieta. & §.item & dictum eſt ſuperius,de ſucceſ.in praxi ſua.*& pacto, & ſtatuto id fieri poſſe autumat Baldus,*in l.cum Arthemidoram, vt in poſſe.leg.C.per §.mulier.& §.filii.ſi de feu.fue.controuer.int.dom.& agna.*Sed negat Georgius Natha, poſſe admitti conſuetudine pactum de futura ſucceſſione obtinenda,& citata iura per Baldum, *d.§§.mulier,& filii.*habere locum ait in pacto de non ſuccedendo. Notatur & in hoc vt cõtrarius ſibi Baldus. Nam is in l.2.col.3.quę ſit lon.conſu.C.defendit,non poſſe recipi conſuetudinem huius pacti. Ego tutius dicendum arbitror, inſpici debere pactorum horum leges. Quia ſi quis in illis promittat ſe inſtituturũ primogenitum,vel alium quemuis, arbitror pactũ inutile per rationes prohibitionis:ſi autem paciſcendo donet, & vocet primogenitũ in parte bonorum, exiſtimo valere donationem & pactum ex conſuetudine.Sed de hoc latius ſequenti capite.

¶ † Quinto,l.quidam cum filium.132.de verb.oblig.aliquan- 6
tum negotiũ mouet,quis promittere cum pœna, inquit, poteſt, ſe aliquem tanquam filium habiturum: & pœnam committi, ſi domo eum pepulerit,nec exheredauerit, vel non inſtituerit: vt inde pactum admiſſum videatur, de inſtituendo. Solutio tamen eius modi eſt facilis, pactum quidem arrogationis vel adoptionis eſſe,vt tanquam filium quis habeat adoptatum: at inſtitutio vel exheredatio,non ex vi pacti,ſed ex poteſtate & natura actus adoptionis ſequitur:& quod ſuccedat adoptatus patri adoptiuo, hoc habet a lege non a patre,*l.ſi arrogator.de adopti.*

¶ † Sexto additur ratiũcula,cui licet quod plus eſt,multo magis 7
quod minus eſt licere debet,*l.cui licet.de regu.iur.in 6.l.non debet, eo.P.*At licet patri totas facultates donare filio,*l.ſi totas.C.de inoffic.don.l.ſi vnquam.de reuo.dona.C.aut.vnde ſi parens.C.de inoff.teſta.* Ergo licebit eum pacto heredem eligere.Sed minor ita demũ tantum vera eſt, ſi donatio fiat ſine impedimento vltimæ voluntatis:quia in ea nemo ſibi legem imponere poteſt,a qua non liceat recedere,*l.ſi quis in principio,de leg.3.*

¶ † Septimo obſeruandum eſt in l.fin. iuncta auth.ſi modo.C. 8
fami.erciſ.& §.quod ſæpe nobis,de trien. & ſemi. coll. 3. patrem diuidere poſſe inter liberos,dum viuit omnia bona ſua vt libuerit,ſiue cum ſcriptura,ſiue ſine ea,eiuſque voluntatem ratam eſſe poſt mortem:dummodo ſi ſcriptura interfuerit,ea fuerit ſubſcripta a filiis,vt inde videatur pacto data hereditas. Quibus accedit ſimilis textus,in l.ſi cogitatione futuræ mortis.C.eod.famil.erciſ. l.hac conſultiſſima.§. ex imperfecto. de teſtam. C. Veruntamen hoc ita demum procedit,ſi pater perſeuerauerit in ea diuiſionis voluntate,vſque ad mortẽ:& tunc non iure pacti, ſed vltimæ voluntatis patris,filii in diſtributis ſuccedunt partibus. Sic exiſtimo pactum initum vel promiſſionem factam Bethſabeæ per Dauidem,quod filius eius Salomon poſt eum regnaret, traditione & perſeuerante voluntate firmatum fuiſſe,*c.1.li.3.Reg.*

¶ † Nec ad rem facit octauo loco,quod pactum a filiisfa. cum 9
patre de ſuccedendo initum, videatur de hereditate potius conſeruanda,quam quærenda:quod ipſi dicantur quodammodo domini rerum paternarum viuente patre, & continuetur tantum dominium poſt mortem eius,*l.in ſuis.de lib.& poſth.P.l.in ſuis,de ſuis & legi.her.P.*Et vbi ſuus eſt,non dicitur iacens hereditas,*gl.in l.cum hereditas.Cod.de poſth.*Et quamuis filius regis viuente patre non habeat regni adminiſtrationem,tamẽ rex & Auguſtus recte dicitur,propter ſpem,*gl.in c.Adrianus.ſup.ver.Auguſtus. 63. diſt. in c.fui,24.q.1.* In quorum ſymbolũ antiqui ſolebant filiis fruendum prædium vita patris pendente tradere,*ita intelligunt l.filium quem habentem,fam.erciſ.P.*Et a Terentio filius bonorum particeps dicitur,*in Adelphis.*ibi,

*Donec filius redierit bonorum meorum particeps.*

¶ † Cicero,3.*Verri.de filiis,quibus bona noſtra partimur, &c.*Et 10
dum filius ad ſucceſſionem vocatur,pene ad propria bona venire dicitur,*l.1.§.largius.de ſucceſſor.edic.P.*vtque pars corporis patris, *l.cum ſcimus.§.ſi.de agric.& cenſ.li.11.C.*Et ſi filius, ergo heres, *ad Gala.4.*Sol.Etenim hæc omnia fictionem & ſpem quandam habẽt,vt poſt mortem patris continuatum ſcilicet a patre in filium cenſeatur dominium:non autem vt domini vere ſint, pendente vita patris.Neque duo in ſolidum eiuſdem rei eodem tempore, eodem modo,domini eſſe poſſunt,*l.ſi vt certo.§.ſi duobus.Commo.* Et quamuis hereditas filiis ab inteſtato iure vtroq; diuino & humano deferatur,tamen id verum poſt mortem patris: nam ante præmatura petitio eſt legitimæ,*l.1.§.ſi impuberi.de collat.bono.P.* Et ſuccedunt tantum filii,ſi poſt mortem bona ſuperſint patri.Et ante mortẽ libere de iis pater diſponit,& vtitur ex arbitrio.Quod non fieret,ſi pacto adſtrictus eſſet de hereditate relinquenda filiis paciſcentibus: bona quippe ſubiecta reſtitutioni, alienari non poſſunt,*auth.res quæ.C.commu.de lega.*tanquam a non domino in alium translata,*l.ſi.de reb.alie.non alie. C.* Deinde hoc facilius liquet,retorquẽdo rationem propoſitam:nam ſi filii domini vere ſint rerum paternarum patre viuente,ſequitur neceſſario,iiſdem de rebus eos paciſci non poſſe,de ſuccedendo.Quod enim ſemel meum eſt,amplius meum fieri non poteſt,§.*ſic itaque diſcretis. de action.*quia dominium tantum ex vna cauſſa acquiri poteſt, *l.3.§. ex pluribus cauſſis,de acq.poſſ.l.non vt ex pluribus,de reg.iur.*

¶ Poſtremo, l. hereditas. C. de pact. conuen. videtur pugnare
pro filiis, vt eis hereditas relinqui poſſit pactis, a contrario ſenſu
expreſſi cõcludendo, vbi Maxi. & Diocletian. *Hereditas extraneis
teſtamento datur. Cum igitur affirmes, dotali inſtrumento pactum in-
terpoſitum eſſe vice teſtamenti, vt poſt mortem mulieris, bona eius ad
te pertinerent, quæ dotis titulo tibi non ſunt obligata, intelligis te nulla
actione poſſe conuenire heredes, ſeu ſucceſſores eius, vt tibi reſtituãtur,
quæ nullo modo debentur.* Hæc Cæſares. Dicunt autem ex illis ver-
bis, *hereditas extraneis teſtamento datur.* Ergo datur pacto ſuis, non
extraneis. Et ita valere pactum in fauorem liberorum, vt ratus eſt
Guilielm. Benedictus, *in c. Raynutius. ad ver. duas habens filias. nu.*
200. *de teſta.* eſſe veram mentem dictę l. hereditas. Cum non refe-
rat quomodocunque relinquatur hereditas liberis, *l. fi. C. fami. er-
ciſc. Sicuti*, inquit, *videmus donationem factam cauſſa mortis ſui na-
tura reuocari, vbicunq; mẽtio facta eſt mortis, l. Seia. §. fi. de don. cauſ.
mor. eam tamen tranſire in donationem inter viuos irreuocabilem, ſi
tendit in fauorem coniunctæ perſonæ ſecundum Raphaelem & Ludo-
uicum*, per textum in l. 2. & l. cum patrem. C. de iure dot. l. cum
maritus. §. fin. de pact. dotal. P. Præſertim vbi aliqua alia cauſſa ir-
reuocabilis præceſſerit, vt in pactis matrimonialibus ſecundum
Bartolum, in l. nam etſi cum moriar, de condict. indeb. P. Aufre-
rius, *in addit. vlt. deciſ. cape. Tho. 452.* ſcribit ſe contra hanc ſenten-
tiam conſuluiſſe ſæpe: veruntamen eandem fuiſſe per plura pla-
cita ſupremarum curiarum receptam, inter nobiles, ſi pactum
iuramento fuerit firmatum. Idipſum & inter ignobiles, ex con-
ſuetudine: cuiuſmodi eſt in lingua Occitana & tota Aquitania, vt
ait idem Aufrerius, *in d. q. 452.* & Boerius, *deciſ. 204. nu. 6. & in §.
fi. de conſue. matrimonii, in vlt. q. in conſue. Bituri.* qui quidem alio-
quin ſine conſuetudine illud pactum improbandum inter igno-
biles tradit. Quæ vt facilius innoteſcant, ex profeſſo rem tracta-
bimus.

## De pacto in Contractu Matrimonii appoſito, vt primogenitus ſuccedat in aliqua parte bonorum parentum ſecundum ius quo vtimur.

### Cap. 7.

1 *Pactum de ſuccedendo in fauorem primogeniti naſcituri, valet ex conſuetudine Gallicana.*
2 *Matrimonii contractus facit valere pactum de ſuccedendo in eo appoſitum.*
3 *Filius naſciturus non cenſetur velle inſidiari.*
4 *Matrimonii cauſſa fauorem habet publicum.*
5 *Primogenituræ fauor qualis.*
6 *Familiarum conſeruatio ſuaſit etiam conſeruationem pacti de ſuccedendo in primogenito.*
7 *Pecunia & opes honoratos & claros faciunt, vt paupertas obeſt ſplendori & ingenio.*
8 *Filiorum maſculorum fauor ſupra primogenitas etiam filias.*
9 *Filiis ex voto omnia parant parentes.*
10 *Hereditates deferuntur ſecundum leges locorum vbi ſunt, & nu. 11. vbi de inſinuatione quæ requiritur in ſuprad. pacto.*
12 *Filius vocatus ad partem hereditatis in pactis matrimonialibus, in ea non poteſt fideicommiſſo grauari a patre poſtea teſtamento, & nu. ſeq.*
13 *Contractus perfectus modum & conditionem poſtea nõ admittit.*
14 *Ius quæſitum non poteſt auferri ab eo, qui alteri acquiſiuit.*
15 *Filius ſuccedens ex pacto eſt tanquam extraneus ſucceſſor.*
16 *Donatio ſine ingratitudine non reuocatur.*
17 *Subſtitutio quæ & quando poteſt fieri heredi primogenito in pactis matrimonialibus vocato. & 18.*
19 *Aditionis hereditatis effectus.*
20 *Heres contractualis præmoriens patri, tranſmittit hereditatem ad ſuos.*
21 *Primogenituræ ius an transferri cedive poſſit. & 23.*
22 *Filio heredi contractuali quando pater, & quomodo ſubſtituere poteſt. & ſeq.*
24 *Primogeniti a ſucceſſione vt indigni repulſi.*
25 *Heres contractualis, vt alii liberi ingrati, propter ingratitudinem hereditate priuari poteſt a patre.*

1 GVilielmus † Benedictus, *in repet. cap. Raynutius, ad verb. duas
habens filias. num. 193. Aufrer. ad deciſ. ca. Thol. 452.* enumerat
aliquos caſus, in quibus pactum de futura ſucceſſione valet &
probatur, & inter illos hunc, vt in pactis matrimonialibus ex cõ-
ſuetudine caueri poſſit, vt primogenitus vel primogenita ſucce-
dat coniugibus. Adferam & verba Maſuerii, *in praxi, tit. de ſecret.*
§. 7. *Item licet*, inquit, *inſtitutio teſtamentaria de conſuetudine*, ſcil-
licet Aruerneorum, *non valeat, niſi vſque ad quartam partem: illa
tamen quæ eſt incidens & conuentionalis, in duobus caſibus valet in
ſolidum, videlicet in contractu ſocietatis omnium bonorum, & etiam
matrimonii: ita quod ſi in dicta aſſociatione fuerit conuentum, quod
ſuperuiuens ſuccedat præmorienti valet. Et idem in contractu matri-
monii. Et illa l. licet. C. de pact. loquitur in ſimplici & nuda conuen-
tione, ſed in caſu noſtro, conuentio adhæret contractui, & dat eſſe con-
uentioni, vt diſpoſitio de ſe inefficax tranſeat in naturam adiuncti &
valeat ſecundum naturam actus cui adheret acceſſorie vel inciden-
ter*, iuxta l. ſi tibi rem. de præſcr. verb. l. ſi remunerandi. §. apud,
mãdati: & nota. in l. 1. C. de pac. & l. vbi ita donatur. de donat. P. Et
iterum, *Idem eo. §. 20. Item quando in contractu ſocietatis fit conuen-
tio, quod ſuperuiuens ſit heres præmortui, ipſe vt heres aſſequitur bona
illius, & dicitur heres conuentionalis*, vt nota. in l. licet. C. de pac. *A-
liud ſi dicatur, quod bona præmortui ſint & pertineãt ad ſuperſtitem:
quia tunc illud pactum habet vim donationis cauſſa mortis*, iuxta l.
non amplius. §. fi. de lega. 1. Explicat rurſum alibi, *Maſuer. titu. de
ſucceſſio. §. 57. Item vt dictum eſt ſuperius inſtitutio heredis conuen-
tionalis facta in contractu matrimonii vel ſocietatis, valet in ſolidum:
hoc verum, niſi ſuperſint liberi naturales & legitimi, quia non poſſunt
priuari legitima eis iure naturæ debita, nec etiam per donationem v-
niuerſalem, vt ſi fiat donatio omnium bonorum inter viuos, & in al-
tero cõtractuum prædictorum. Et ſi dicatur, quid igitur operatur ad-
hærentia contractus: reſpõdeo, quod multum. Quia valet donatio vel
inſtitutio prædicta in ceteris, demta legitima, quæ alias nõ valeret, niſi
vſque ad quartam partem bonorum: Sicut nec inſtitutio vel diſpoſitio
teſtamentaria, obſtante conſuetudine ſuperius ſæpe allegata. Et iterum
ſi dicatur, non plus deberet operari donatio facta inter viuos, quam
inſtitutio in contractu matrimonii vel ſocietatis. Reſpondeo, quod
præualet in hoc, quod bona præſentia non poſſunt alienari*, iuxta l. mu-
lier bona. l. fin. de iure dot. P. & l. non amplius. §. fi. de lega. 1. cum
ibi notatis. *Et quia cetera bona, futura forte, non ſunt affectata vel
obligata pro ſolutione legatorum*, iuxta not. in l. fin. C. de pact.

¶ † Ratione iſtius conſuetudinis videtur per Maſuerium, ex 2
cauſſa cohærentiæ contractus matrimonii pactum hoc recipi: ſi-
quidem pacta imitantur contractus, quibus apponuntur, *l. lecta.
40. verb. dicebam, de reb. cre.* ceterum, contractus matrimonii, cui
adiicitur, indiſſolubilis eſt, quodque Deus coniunxit, homo non
ſeparat, *l. 2. de ritu nup. P. Matt. 5. & 9. Mar.* 10. Et proinde, cum
matrimonium huius pacti ineſcatione vel promiſſione ſecutum
fuerit, vt eſt matrimonium indiſſolubile: ſic & pactum additum.
Alioquin deceptus videretur prætextu liberalitatis maritus, ad-
uerſus bonam fidem & leges, quarum interpretatio captioſam li-
beralitatem fregit, *l. cum Aquiliana. de tranſ. P.* Nec decipi nos,
ſed iuuari alterius beneficio oportet, *l. in commodato. §. ſicut. com-
mod. P. c. vni, de commod.* Secunda ratio ſumitur ex l. hereditas, de
pact. conuen. quam in fine præcedentis capitis explicauimus.

¶ † Tertio, quando inſtituitur in pactis matrimonialibus qui 3
nondum natus eſt, & naſciturus, videtur interim præcipua ratio
prohibitionis pacti ceſſare, votum captandæ mortis: non enim
captare mortem poteſt qui nondum natus eſt. Ergo ceſſante ra-
tione, ceſſabit prohibitio, *c. cum ceſſante. de appel. l. adigere. §. quã-
uis. de iure patr.* Sed maxime probandum pactum: Si omnium bo-
norum non ſit, ſed alicuius partis: vt in donatione omnium bo-
norum dictum eſt. ¶ † Quarto, fauor matrimonii habet cauſſam 4
publicam, *l. 1. ſol. mat. l. 1. de iure dot. P.* nec minori vtitur priuilegio
mulier in dote, quam miles in teſtamento, *l. dotalem fundum. de
milit. teſta.* At donatio ſeu pactio ſucceſſionis valet facta a mili-
te, quæ transfertur poſt mortem, *l. licet. C. de pact.* fauore militiæ.
Valebit igitur eadem multo magis fauore matrimonii. ¶ † Quin- 5
to, fauorem adiicit huic pacto ius primogenituræ, nam ſolet fieri
hæc largitio in fauorem primo naſcituri: natura enim patres plus
diligunt primogenitos, *2. Reg. 13.* veluti primas ſui imagines, & a-
cerbior, imo ſupremus luctus primogeniti, & vnigeniti, *Exod. 11.
Zachar.* 12. Iiſq; iure ſingulari reſeruabatur apud antiquos bene-
dictio felicior paterna, *Gen.* 27. & duplicia dabantur, *Deut.* 21. &
præcipua domuſq; dignitas & titulus. Exẽplo Ioſophat regis Iſra-
el, qui filiis ſuis quinq; dedit munera, regnum autem tradidit Io-
ram, eo quod eſſet primogenitus, 2. *Paral*, 21. Vt Cyrus mori-
turus, exſtantibus duobus liberis Cambyſe, & Tanarzare, dixit
viſum fuiſſe conſentaneum, regnum Cambyſi vt maiori natu re-
linquere, vt rerum peritiori, *Xenop. libr. octauo. Cyriped.* Et me-
rentur certe, ſi ſimpliciter filios contemplemur, non habita
ratione maioris pietatis, vel morum bonitatis, quibus ſæpe
poſtea

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

poſtea geniti excellũt,& ceteris paribus, liberalitatem maiorem
patris:tum quod diutius patri inſeruierint, priores in officio fue-
rũt:tum etiam, quod neceſſarium ſit in familia filiorum aliquem
ceteros ſapientia antecedẽtem beneficiis donari,vt fratribus ipſe
poſtea inſtar patris ſit,& veluti fiduciariam tutelam & onus poſt
mortem patris ſuſcipiat,*§.1.de fiduciar.tute.P.* Natura magis expe-
rientia valere putamus, qui diutius vixerunt: & proinde primo-
genitis hæc cura cum demandata videatur iure naturæ, vt fratrũ
ſuſcipiant minorum ſolicitudinem,inuidẽdum non eſt, ſi potior
6 pars reſeruetur eis ſucceſſionis paternę.¶† Sexto loco,ſuaſit hoc
pactum ſeruari cõſeruatio familiarum:cum enim vnus ex liberis
maiorem partẽ hereditatis capit ex pacto, interim alienatio pro-
hibetur,vtpote rerum ſubiectarum reſtitutioni, *auth. res quæ C.
commu.de lega.* Et receptæ ſunt prohibitiones alienationis, vt res
remaneant in familia,*l.codicillis.§.inſtituto.& ſeq.& l.cum pater.§.
libertis.de leg.2.l.voluntas.C.de fideico.* Quare & apud Locros cau-
tum erat lege,ne quis patrimonium alienare poſſet,niſi oſtende-
ret euidentem calamitatem ſuperueniſſe: præterea vt antiquæ
hereditates conſeruarentur.Quod ſublatum apud Leucadas,val-
de popularem eorum ciuitatem effecit,*Ariſto.Politic.c.5.* Fami-
liarum ſplendor ſumtibus apparet: ſumtus bona plura exigunt,
bona vero diu integra non poſſunt eſſe, quæ æqualiter pluribus
filiis diuiduntur:& minor domus fit,quæ in plures ſcinditur.

7 † *In pretio pretium eſt,dat cenſus honores,*
*Cenſus amicitias pauper vbiq; iacet,* *Ouid.Faſt.1.*

Et,*Nil habet infœlix paupertas durius in ſe,*
*Quam quod ridiculos homines facit,* *Iuuen.Saty.3.*

Atque Horatius,*Od.11.Epod.*
*Contraq; lucrum nil valere*
*Pauperis ingenium,quærebor apploranstibi.*

Et rurſum,
*Scilicet vxorem cum dote fidemq; & amicos,*
*Et genus & formam regina pecunia donat.*

Sic minus fidei habetur pauperi,quam diuiti,*l.3.de teſtib.P.§.
ſancimus aliquam.eod.tit.in auth.l.1.de cuſto.reor.P.l.ſpadonum §.
fin.de excuſ.tuto.P.l.ſi creditores.de priuile.cred.P.§.1 de defen.ciuit.
in auth.col.3.* Pecuniam multũ in honore eſſe inter res humanas,
docet Strabo,*li.9.*& reges & ſplendidos dici ideo δυνάςας, id eſt,
potẽtes. Et Demoſthenes,*in Olinthia.* δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τού-
των οὐδὲν ἔςιν γενέσθαι τῶν δεόντων, id eſt, *pecunia omnino opus eſt, &
ſine ea nihil agi poteſt.* Et Caſſiodorus,*3.variar.epiſt.17. tantũ quis
nobilior eſt,quantum & moribus probus,& luculenta facultate relu-
xerit.* Diuus autem Ambroſius,*li.2.officio.hodie*, inquit, *nemo niſi
diues honore dignus putatur.* Apud Iuriſconſultos, æquiparantur
honor & ampliſſimæ facultates,*l.ad ſubeunda.de decurio.in P.l.2.
de præd.decur.l.reſcriptũ.de mu.& hono.P.cum ſimil.* Et Euripides,
ἰσχύει μέγα πλοῦτος, λαβὼν δὲ τοῦτον εὐγενὴς ἀνὴρ,i.
*Ingens vis diuitiarũ,quas qui nactus eſt,nobilis ſtatim euadit.*

8 ¶† Accedit ſeptimo maſculæ prolis fauor,in cuius gratiam fa-
ctum ſit.Nam in pactis matrimonialibus primum vocantur pri-
mogeniti,in defectum eorum ordine maſculi: & proinde ſi filia
naſcatur primum,deinceps filius, is præfertur vt diſputant Gui.
Papæus,*q.hos.*& Guilielm.Benedict.*ad c.Raynutius.ad ver. in eo-
9 dem teſtamento.nu.173.de teſta.*¶† Octauo,fouet hoc pactum cõ-
mune naturæ & parentum omnium votum, quo volunt omnia
liberis quæri,*in l ſcripto,vnd.li.l.cum ratio.de bon.damnat.P. Et fi-
lius*,inquit D.Paulus,*ad Galat.4.Ergo heres.*

10 ¶† Nono,obſeruo ſuccedendi leges eſſe iuris poſitiui, & ideo
in ea ſucceſſione eſſe habendam rationem loci,in quo quis teſta-
tur,*l.ſi non ſpeciali C.de teſta.* Quamobrem cum conſuetudo hoc
pactum permiſerit,vt ceteræ teſtandi & diſponendi formulæ,ap-
probabitur,non habita ratione iuris communis: cum & ratione
donationis inter viuos ſuſtineri poſſit idipſum, quod defertur in
tempus mortis,*per l.ſcrupuloſam.12.de contr.& com.ſti.Cod §.poſt
mortem.de inut.ſtipul.*

11 ¶† Veruntamen addenda eſt inſinuatio in Gallia,ex conſtitu-
tione regia Molinenſium:alioquin inutile & inefficax, *in conſtit.
Molinenſ.* Et ita non ſeruatur quod olim obtinuit,remuneratori-
as donationes non egere inſinuatione,*l.ſi pater.§.1.& l.Attilius.de
donat.P.§.1.vt ſponſ.larg. in authen. reditumque ad ius codicis.l.ſi
pater.§.ſimilique modo.de iure do.C.* neque iuratas, *Guid. Pa.deci.
351.& ſingu.346.Ioan.Immo.& Pan.ad c.cum contingat.de iure-
iur.* nam vtrunque ſuſtulit conſtitutio. Probatur & hæc conſue-
tudo in §. .de fil.natis ex matri.ad morg.contr.in vſib.feudo.

12 ¶† Ex his notabile primum ſequitur, quia hoc pactum ſucce-
dendi firmum & irreuocabile eſt, vt filius vocatus in parte, qua
inſtitutus in contractu eſt,non poſſit grauari poſtea fideicõmiſ-
ſo.¶† Primo,quia ſemel perfecta donatio, & contractus abſolu- 13
tus,neque diem neque conditionem,vel modum accipit,inuitis
illis,qui contractu continentur,*l.perfecta.4.C.de don. quæ ſub mo.
li.8.C.tit.55.l.eum qui donationis.22.de donat.P.l. quicquid. de ver.
oblig.*

¶† Secundo, quia dum quis beneficio alterius ad aliquid 14
petendum admittitur,quemadmodum in quæſitis hic per pactũ,
is cui quæſitum eſt,etiam inuito eo,qui prius ei acquiſiuit,peterẽ
poteſt,*l.ſi poſt mortem.*10.*§ fi.de bon.poſſ.con.tab.P.l.pen.de non nu.
pec.C.l.1.ſi manci.ita veni.ne proſt.C.expreſſius in l. cum a ſocero. C.
de iure do.* Et tertio cum ius quæſitum ſit filio naſcituro ex dona-
tione,notario publico pro eo ſtipulante & acceptante,*l.ſi quis ar-
gentum.§.ſin autem.de dona.* ſine eius facto ei adimi non poteſt,*l.
id quod noſtrum.de reg.iur.* Nec in aliena poteſtate eſſe debet,alte-
rius non delinquentis deteriorem conditionem facere,*l.2.quod
vi aut clam.P.* Sed & *4.* conſtat patrem,qui filio promiſit, nõ poſ-
ſe pactionem reuocare, per expreſſam l. aliud. 106. de ſolut. P.
Quanquam moriatur, & velit vltima voluntate reuocare: nam id
non licet, & ſtipulatio conditionalis impleri poteſt etiam poſt
mortem promittentis,*l.is cui ſub conditione.de actio.P.§.ex condi-
tionali.de verb.obl.apud Iuſtin.*¶† Accedit l.cum a filio tuo emã- 15
cipato. C. de donatio. §. Filius qui ex teſtamento non vult patri
ſuccedere,ſed ex contractu,eſt veluti extraneus: & ita contractu
contentus non poteſt cogi ad collationem a fratribus,*l.a patre.C.
de collat.* nec proinde ad onus impoſitum. Et ſi filius, qui ex con-
tractu heres eſt tantum alicuius partis, ad onera teneatur, habe-
bitur tantum ratio temporis donationis factæ, non mortis teſta-
toris,vt teneatur ad onera præcedentia donationem, pro rata, ſi
in quota fiat alicuius partis bonorum, vt tertiæ, vel quartæ, vel
mediæ,&c.Non ſi de re ſingulari. Nam tantum in bonis eſſe di-
cetur,quantum ſupererit deducto ære alieno, *l.mulier bona ſua.
de iure dot.P.l.ſubſignatum.§.bona.de ver.ſign.* Exemplo aliarum
donationum,quæ inter patrem & filium, & virum & vxorem fi-
unt,quæve morte confirmantur,*l.cum pater.§ pater filiæ.de leg.2.
l.ſi mortis cauſſa.de dona.cau.mor.in P.* Et donationes huiuſmodi,
quæ morte confirmantur,ſi in teſtamento rurſus apponantur,nõ
intelliguntur nouæ aut tunc factæ, ſed relatio earum habet con-
firmationem factorum,vt ad id tempus,quo factæ ſunt,retrahan-
tur,*l.ex verbis.C.de don.int.vir.& vxo.* ¶† Sexto, iniuria fieri vi- 16
deretur a patre filio,ſi donationes ei factæ reuocarentur teſtamẽ-
to,quæ non poſſunt ſua natura reuocari,*l.velles nec ne. C.de reuo.
donat.* niſi ex cauſſa ingratitudinis,*l.ſi.eod.ca.ſi.de donat.* Ceterum
obſeruandum eſt,patrem aliquod honeſtum grauamen,& quod
affine eſt voluntati contractuali,imponere filio poſſe, qui ſucce-
dit vel vi pacti,vel vi conſuetudinis,& iure primogenituræ: vt in
ſpecie c.licet.de voto.¶† Atque Boerius tradit,*dec.204.n.33.* pa- 17
trem filio primogenito heredi inſtituto poſſe ſubſtituere ſecun-
dogenitum,aut nepotes ex fratre,caſu quo contingeret eum ſine
liberis maſculis decedere, etiam ſi in contractu matrimonii di-
ctum non fuiſſet: quia inſtituendo primogenitum firmat pa-
ctum, & ſubſtituendo inter nobiles ſequitur naturam feudi an-
tiqui,quod debetur natura filiis omnibus,præterquam in regali-
bus, quæ primogenito tantum.Idem ſcribit Paulus Caſtrenſis,
*conſil.245.incip.viſo & examinato, ver.ſuper quinto & ſexto quæ-
ſito,in volum.nouor.*& Maſuerius, *in præ.titu.de ſucceſſ.§.item vt
dictum eſt.* Alioquin ſatis durum & alienum eſſet ab omni ratio-
ne iſtius pacti,videre per filias primogeniti ad extraneam famili-
am hereditatem peruenire, *Iuxta l.lex quæ tutores.de admi.tuto.*
filiæ enim nubentes in aliam tranſeunt familiam, & earum libe-
ris,*§.fi.de patr.pot.§.1 de leg.agn.tut.* Et prope vero eſt, ſi conſulti
fuiſſent, vel cogitaſſent qui pactum fecerunt, primogenitum
non fore ſuperuicturum, vel non habiturum maſculos, reſpon-
diſſe,nolle ſe ad extraneos hereditatem peruenire, *iuxta gloſſ. in
l.tale pactum.§.fi.C.de pact.* nemo enim præſumitur ſuam ſobolem
alienæ poſtpoſuiſſe,*l.cum acutiſſimi. C.de fideicom.l.cum auus.de
condit.& dem.P.l.generaliter.§.cum autem.de inſtit.ſub condi.fa.C.*
Et ſic ſingulari iure annotamus,tunc cõmitti contra leges,primũ
in eo,quod extraneis reſcriptũ eſt, non licere hereditatem pacto
dare,*l.hereditas.C.de pact.conuen.* ſecundo, ꝙ nec filiæ licet pacto
hereditatẽ dare,*l.pactũ quod dotal.C.de coll.* Quę tamẽ in filio pri-
mogenito ceſſant. Et quamuis in donatione cauſſa mortis,& in
ea quæ inter viuos fit,& habet legem effectus poſt mortẽ, ſubſti-
tutio non valere credatur ab aliquibus,*ex gloſſ.l.1.de don.cau.mor.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tamen ſecundum Bartolum, *in l. vt heredib. de lega. 2.* id intelligẽdum eſt de directa, non de obliqua ſeu fideicommiſſaria, quæ recipitur, *videtur text. expreſſ. in l. cum pater §. 1. eod.* Atque interpretes exiſtimant, pactum hereditatis accipiendæ poſt mortem donantis in pactis matrimonialibus adiectum, intelligi debere, ſi vſque ad mortem perſeuerauerit donans in voluntate, *Io. Fab. in l. fi. C. de pact. Bal. in §. item ſacr. de pace iura. firm. in vſib. feudo.* Sed & videtur donatio primo gignendo facta, nõ tam proprie donatio, quam præordinatio, diſtributio patrimonii, & anticipatum teſtamentum, *vt in l. tale pactum. §. fin. de pact.* & proinde admittetur ſubſtitutio, *l. vt heredib. de lega. 2.*

18 ¶ † Ego tamen non omnino his adſtipulor. Sed exiſtimo inſpiciendum eſſe, num poſt mortem patris filius, qui vocatus eſt ex contractu ad partem hereditatis, & poſtea inſtitutus cum onere, eſt generalis heres, ſe gerere velit vel geſſerit pro herede teſtamentario: nam tunc proculdubio tenetur ad omnia onera, annoſcendo voluntatem defuncti. Aditione enim facta, cogi poteſt ad reſtitutionem impoſitam, *l. quia poterat. & l. cogi. ad Sena. Trebel.* Abſurdum quippe eſt, vt pro parte quis acceptet defuncti hereditatẽ, & pro parte repudiet, *l. nam abſurdum. de bon. liber. P. §. non tantum. de hered. & falc. in P.* quia indiuidua cenſetur voluntas defuncti, *l. eum qui. §. fi. de his quib. vt indig. P.* Et quemadmodum legatarius non poteſt pro parte legatum accipere, & pro parte repudiare, *l. legaturus. de leg. 1. l. neminem. de leg. 2.* multo minus nec heres vniuerſalis, qui adiit. Cui & ius accreſcendi, diuerſis inſtitutis & coheredibus repudiantibus, etiam inuito partes deficientium adiicit: ne pro parte teſtatus & pro parte inteſtatus deceſſiſſe videatur defunctus, *l. ius noſtrum. de reg. iur.* Vnde heres vniuerſalis inſtitutus, quamuis apud ſe, vel reipſa partem tantum hereditatis deſtinauerit adire, cenſetur tamen ex aſſe hereditatem adiiſſe, & heres omnium, *l. ſi ex aſſe. de acq. hered. P. Qui totam hereditatem*, inquit Paulus, *l. 1. eod. acquirere poteſt, is pro parte ſcindendo, adire non poteſt.* Et Vlpianus, *l. 2. eod. Sed ſi quis ex pluribus partibus in eiuſdem hereditate inſtitutus ſit, non poteſt quaſdam partes recuſare, quaſdam agnoſcere.*

19 ¶ † Sed neque filius vniuerſalis heres inſtitutus, abſtinere ſe poteſt hereditate, retenta legitima, vt ſingulariter notat Paulus Caſtrenſis, *in l. heres inſtituta. de impub. & aliis ſubſt.* Quod & iure expreſſum videtur, *in l. illud dubitari poteſt. de acq. her. P.* Et contra, qui ſe immiſcuit hereditati, dicendum eſt hunc non poſſe recuſare, quin tota onera hereditaria ſubeat. *Qui enim*, inquit lex, *l. ſi duo ſunt heredes. eod. ſcit, aut ſcire potuit ſe oneribus fore implicitũ, ea conditione adire videtur.* Et proinde videtur quaſi contrahere cum defuncto, & fidem ei adeundo dediſſe de ſatisfaciendo voluntati, *l. 3. §. fin. & l. 4. quib. ex cau. in poſſ. eat. P.* ita tenetur legatariis ex quaſi contractu, *§. heres quoque de obliga. quæ ex quaſi cont. naſc.* Quare & qui non poteſt ſe obligare, non poteſt adire, *l. more noſtræ ciuitatis. 8. de acq. hered.* Et poſtremo, qui debitoris ſui adiit hereditatem excluditur a petitione debiti, & confuſæ ſunt actiones, *in l. debitori. C. de pact. l. heres a debitore. §. 1. de fideiuſſo. P. l. vt debitum. de hered. actionib.* Sed quid ſi adiit hereditatem cum beneficio inuentarii, num poſſit detrahere quod ſibi ex donatione debeatur? Vide expreſſum tex. & inibi gl. in l. ſcimus. §. in computatione, de iure delib. C.

20 ¶ † Secundum notabile quod colligitur ex firmitate pacti matrimonii in fauorem filii naſcituri erit, vt ſi pendente vita patris filius primogenitus mortuus fuerit, tranſmittat hereditatem ſibi donatam ad ſuos heredes, vt illi ſuccedant poſt mortem donantis, perinde ac ſi filius ſuperuixiſſet: quia ex conditionali conuentione vel ſtipulatione, ſtipulatum vel donatum transfertur in heredes creditoris, qui erunt tempore impletæ conditionis, *§. ex cõditionali. de verbo. obl. l. is cui ſub conditione. de actio. in P.* Et præponi nepotem patruo defendit Panor. & alii, *in c. licet, de voto, & cõſ. 136. & conſi. 12. Bald. in q. feudi in l. cum antiquioribus. de iure delibe. C. Io. Immola, & Domin. in c. grauis. de exceſſib. prælat. Aufre. in deciſ. cap. Tholo. 433. quam vide ſi egeas.*

21 ¶ † Probant tamen interpretes aliqui, *Bal. in l. cum antiquioribus. C. de iure deli. & conſi. 399. to. 2. Socin. conſi. 252. M. Lauden. lib. de primoge. P. Decius, conſi. 1. li. 1.* ius primogenituræ eſſe perſonale, vt nec cedi, nec auelli poſſit a perſona. Sed opinor illud obſeruandum, quando pactum non eſt appoſitum, vel ſi liberi non exſtant primogeniti, & quando conſuetudo verbis apertis defert ſucceſſionem primogenito ſuperſtiti: alioquin transferri poſſe infra doceo.

22 ¶ † Remanet adhuc quæſtio in hac materia quotidiana, num pater qui filio donauit naſcituro ea contemplatione, vt domus ſplendor per illum ſubiretur & conſeruaretur, ſi is filius inhabilis reperiatur natus, poſſit ſubſtituere eidem, vt ſi ſit prodigus, libidinoſus, mente captus, &c. Si in ſumma filius præſtare non poſſit munus, quod bonis donatis, puta feudo, impoſitum fuit. Inhabilis enim is dicitur, habita ratione certæ rei, qui impar ſit oneri præſtando: vt dicimus ea ſignificatione, naues inhabiles, *l. 1. §. igitur, verſ. quædam, de exercit. act.* Græcis ἀνάρμοστος: vt contra, ἐνάρμοστος, habilis, aptus, accommodus. Et placuit omnem diſpoſitionem de habilibus intelligi debere, *l. vt gradatim. de mun. & hono.* Et paria ſunt non eſſe filios, vel eſſe, ſed inutiles, *arg. l. quoties. qui ſatiſd. cog. gl. in l. fi. ad leg. flau. de plagiar. C.*

23 ¶ † Et probauit Socinus, ius primogenituræ, ſi primogenitus ſit demens, aut rebus ſuis ſupereſſe non poſſit, tranſire & deuolui ad ſecundum. Et valde mihi probatur explicatio pacti de ſucceſſione primogeniti vocati, quam adfert Boerius, *deciſio. 204. num.* vt quando primogenitus ſit, vel eſt inhabilis, puta furioſus, prodigus, vel alias inutilis, pater poſſit non obſtante pacto diſponere. Quia in fauorem nobilitatis & familiarum conſeruandarũ cauſſa, permiſſum eſt patri per conſuetudinem de bonis ſuis pacto in fauorem filii diſponere. Quæ ratio omnino ceſſat, quando inhabilis inuenitur vocati perſona: ſaltem per ſubſtitutionem exemplarem, exemplo minorum, & ex formula tantum l. humanitatis intuitu, de impub. C. ſubſtitutio admittetur. Nam quandiu tales vixerint, certe in Gallia putarem ſeruandum eſſe, quod vulgo etiam cuſtoditur in nobilibus primogenitis ſtolidis vel fatuis ſeu dementibus, vt & in fœminis, vt cum feuda ſint patrimonialia, inhabiles vitio naturæ etiam capaces poſſeſſionis dicantur, & per alias perſonas deſeruiant oneribus militiæ & aliarum rerum: in maioribus autem dignitatibus & feudis, vt in regni & principatus ſucceſſione, ſi ſine ſeditione fieri poſſit, & cum conſilio vniuerſorum heroum & ſuperioris, & ſi neceſſitas adminiſtrationis vrgeat, alium ſubrogari ſaltem in adminiſtratione probabile videretur exemplis, quæ tamen non habent locum in iure quæſito ex lege maiorum.

24 ¶ † Ita reprobatus primogenitus Cain, *Geneſ. 4.* prælatus Iacobus Eſau, *eod. 27.* Ioſeph, fratribus a patre Iacobo, *eo. 48.* Salomon, Adoniæ natu maiori a Dauide: quod is vſurpaſſet regnum eo viuente, *3. Reg. c. 1.* Priuatus regno Childericus rex Francorum: vt inutilis, ex procerum regni conſilio & auctoritate Zachariæ ſum. Pontif. Et regnum delatum Pipino patri Caroli Magni, *c. alius. 15. q. 6.* Priuatus & regno, vt inutilis, Sardanapalus Aſſyriorum rex, vir muliere corruptior, & ab Arbacto ad Aſſyrios a Medis imperium translatum, *Iuſt. ex Tro. in 1.*

25 ¶ † Probo etiam, propter ingratitudinem commiſſam in patrem, filium donatis in contractu matrimonii priuari poſſe, *Bene. in rep. ca. Raynutius. in ver. in eodem teſtamento. an. 1. num. 203.* ab eodem patre. Sicut Iacob priuauit Ruben primogenitura, quod aſcendiſſet patris cubile, *Geneſ. 39. & 45.* & tranſtulit in Ioſeph & liberos eius, *eod. 48.* Et ſacerdotium primogenito debitum, *eod. 27.* translatum in Leui, & regni dignitas illi promiſſa, *eod. 35.* trãslata in Iudam, *1. Paral. 5.* Et ita expreſſe conſuluit Oldradus conſil. 93. col. 17. Atque ita iudicatum refert Benedictus, *vbi ſupra n. 218.* anno 1506. Exſtat & conſtitutio Henrici 2. de matrimoniis clandeſtinis, qua filii & filiæ quæve ſine conſenſu patris nuptias contrahunt, exheredes fiunt, & extorres ab omni iure ſucceſſionis, quod ſperabant ex pactis matrimonialibus patris, matrisve & maiorum. Et conſtat quoque iure communi liberos priuari poſſe donationibus alterius generis & inter viuos factis, ſi illi ingrati reperiantur ex cauſſis legibus expreſſis, *l. his ſolis, iuncta auth. quod mater. & l. pen. C. de reuoc. donatio. Ne ſit*, inquit Iuſtinianus, *l. fi. C. eod. cuique licentia, alienas res capere, & frugalitatem irridere donatoris, & ipſum iterum donatorem ſuasque res perdere, & præfatis malis ab ingrato donationis acceptore affici.* Aliaque ratio ponitur a Philippo Imperatore, in l. 1. C. de reuocan. donat. dum de reuocatione donationis factæ liberto agit, cui in obſequiis iungitur filius patri, vt ille patrono præſtandis, *ti. de obſ. a lib. vel liber. paren. & patro. præſt.* Et lex vltra non tantum ingratos liberos punit ademtione donatorum, ſed etiam illos emancipatos reuocat in poteſtatem, *l. vnic. de ingra. libe. C.* & permittit parentibus, non tantum quæ ipſi ſponte largiuntur illis adimere, ſed eam, quam lex illis defert legitimam, tollere, *§. aliud quoque capitulum, vt cum de appellat. cogno. in auth.* Et ita lex diuina fieri ſuadet, vt conſeruetur integrum illud ſanctiſſimum præceptum, *honora patrem tuum, & matrem tuam.*

De

## De pacto, de Conſeruanda hereditate. Cap. 8.

1 *Pactum de conſeruanda hereditate quando valet. & num. ſeq. 2. 3. 4.*
2 *Hereditas non adita, nec delata non tranſmittitur.*
3 *Ingratitudo filio per patrem pacto remitti poteſt.*

1 ALiud † pactum eſt, quod fit de conſeruanda hereditate, quæ
ſi hominis mortui fuit, vel ſit quæſita ex certiſſimo iure vi-
uentis, valet de ea factum: Contra autem, ſi fiat de ea hereditate
viui, quam quis ſibi ſperat deferri poſt mortem eiuſdem. Quia
omnes rationes fere, quæ prohibent pactum de futura ſucceſ-
ſione, habent in hoc locum. Deinde in viui ſucceſſione, non po-
teſt certa ſpes ab inteſtato ſuccedendi formari: quia poteſt præ-
2 mori, qui ſuperuicturum ſe credit. ¶ Et † ideo nulla eſt ſucceſſio
præmoriente herede, *l. vni §. & cum triplici, de cad. toll. C.* Et he-
reditas non adita non tranſmittitur, etſi delata ſit a collaterali-
bus, *l. quoniam ſororem, de iure delib. l. emancipata, C. qui admit. ad
bo. poſſ. l. vni. §. in nouiſſimo, de cadu. toll.* exceptis iis, qui a tempore
delationis, intra tempora deliberandi moriuntur, *l. cum antiqui-
oribus, de iure delib.* vel alia legitima cauſſa impediti non potue-
runt adire intra eadem tempora, *vt in l. vnum ex familia, §. rogo,
de leg. 2. & in l. ſi quis in graui, §. eleganter, & l. qui poſthumos, ad Syl-
lania.* & exceptis liberorum perſonis, qui delatam tranſmittunt
non aditam hereditatem, *d. l. vni, §. in nouiſſimo, de cad. toll. C. l. 1. de
iis qui ante aper. tab. C.* Sed neq; cõſeruatio dici poteſt hereditatis,
quæ non eſt, veluti viui, *l. 1. pro herede, in P.* Et in filiis etiam ipſis
præmatura dicitur petitio legitimæ bonorum viuentis patris, *l.
1. §. ſi impuberi, de collat. bonor. P.* Et ſi de proximis agatur ſucceſſu-
ris, incertum adhuc viuente proximo eſt, num illi ſucceſſuri
ſint: cum libere poſſint, illis prætermiſſis, eligere extraneum, vt
nec conqueri de inofficioſo poſſint fratres, *l. 1. de inoffi. teſt. P. l. fra-
tres, & l. fratris, C. eo.* ſed potior ſit cauſſa teſtati, quam inteſtati.
Diſtinguunt tamen in hac quæſtione Bartolus, Angel. de Vbal-
dis, Bald. *in l. ſi. C. de pact.* Aut quis inquiunt, iure ſuccedendi pri-
uatur per ingratitudinem, aut alio iuris rigore. ¶ In † primo ca-
ſu, putant valere pactum de conſeruanda hereditate: nam licet
3 filius ſit ingratus, poteſt ingratitudo pacto remitti, *vt in l. fin. C. de
reuoc. donat. l. in ipſius, C. famil. erciſc. arg. l. 4. de adim. lega.* Sed ſi
quis vellet facere pactum, vt ingratitudo futura non obſtaret,
non valet pactum: quia induceret ad delinquendum, *arg. l. ſi v-
4 nus, §. illud nulla ratione, de pact. P.* ¶ Quando † autem priuatur
quis propter aliquem iuris rigorem, cui poteſt obuiam iri te-
ſtando vel codicillando, ſicut filius emancipatus poſſet patri
prouidere teſtando, *l. antequam, C. com. de ſucceſ. l. quandiu, 2. de
acq. here. & l. quandiu, de regu. iur. l. 1. ſi tab. teſt. non exſtab. P. §. ad
hæc, de heredib. & falc. in auth. cum ſimilib.* licet pater eum emanci-
paſſet non contracta fiducia, tunc valet pactum, *vt in § ſi. de legit.
agn. ſucceſſ.* Quod ſi priuationi non poſſit proſpici contra illum
rigorem teſtando, tunc non valet pactum, *vt in c. 1. de feudi ſucceſ.*
Secundum Bartolum: quod enim non poteſt fieri per teſtamen-
tum, non poteſt fieri per pactum. Obiiciunt *l. 1. §. ſi pares, ſi a patr.
quis fuer. manu.* Sed nihil ad rem.

## De pacto, de non ſuccedendo in iure quæſito. Cap. 9.

1 *Pactum de non ſuccedendo, vel de iure quæſito, vel pendente eſt.*
2 *Primogenituræ iuribus quibus renuntiari, & quando poteſt: & num transferantur in filium, præmoriente patre, & num. 3.*

1 IN † pacto de non ſuccedendo diſtinguimus, an ius cui renun-
tiatur iam quæſitum ſit, an adhuc pendeat. Nam pactum de iu-
re quæſito eiurando valet, vt antea diximus in pacto de heredi-
tate mortui: aliud non valet, niſi cum diſtinctione, de qua in ſe-
2 quentibus. Aliud † exemplum in pacto de non ſuccedendo in
iure quæſito eſt, quando primogenitus renuntiat iura primoge-
nituræ ſibi competentia. In quo tamen non modica eſt contro-
uerſia, propter auctoritatem eorum, *Martin. Laudenſ. in tracta.
de primogeni. Bal. in l. cum antiquioribus, de iure delib. & conſ. 399.
vol. 2. Soc. conſ. 252.* qui putarunt hoc ius primogenituræ eſſe per-
ſonale: & ideo non poſſe cedi, & transferri, *l. quia tale, ſol. matri.
P.* Quod aliqui putant intelligendum, ſi velint primogeniti
transferre hoc ius in extraneos, vt non poſſint: poſſint autem in
fratres transferre, & cedere. Quia eadem extraneorum non eſt
ratio, ac fratrum: vtpote qui ſublato fratre primogenito de me-
dio, ſuccedunt in locum eius ex mente ſtatutorum & conſuetu-
dinum. Et tunc magis a lege, quam a fratre ius habere videntur,
*arg. l. ſi arrogator, de adoptio. P.* Dicunt & alii ceſſionem fieri poſſe
iuris primogenituræ etiam in extraneum, vt valeat quãdiu vixe-
rit primogenitus, ſi poſt ius conſequutum renuntiet ei. Quæſi-
tum autem ius hoc videtur natiuitate, & diem tunc veniſſe con-
ditionis, tunc quoque ab eo tempore firmari contractum, *l. ne-
ceſſario, §. fin. de peri. & com. rei vend. l. 4. de dona. in P. l. arboribus, 13.
§. vſufructuarius, §. de vſufruct. & quemad. quis vta. P. §. 1. de vſu &
habit.* & tranſmitti ius in heredes, *l. is cui, de ac. P. §. ex conditiona-
li, de verb. obl. l. quoties, C. de fideic.* Veruntamen † dicunt, præmo-
riente primogenito ei, cuius habiturus erat ius ſi ſuperuixiſſet
reſolui ceſſionem & translationem factam in extraneum: & re-
ſoluto iure dantis, reſolui ius accipientis, *l. lege vectigali, & l. gre-
ge, § ſtatuliber, de pignor. P. l. qui tabernas, de contrah. emt. P.* Adde
quod videtur ita hoc ius ceſſibile, eo quod ſit tranſmiſſibile, *l. ex
pluribus, de admin. tut. P.* Atq; transferri in filium hoc ius viuente
patre, docet Oldradus, *conſ. 223. quod incipit, Iſtæ ſunt allegatio.* Et
quamuis pendeat exſecutio iuris, tamen non pendit ius, quæſi-
tum eſt vt diximus, & in conditionalibus conuentionibus habet
locum, *l. is cui, de acti. P. l. quod ſi, & l. nam ſi cum moriar, de condit.
indeb. P.* Et vendidit ius primogenituræ Eſau fratri ſuo Iacobo,
*Geneſ. 27. c. quam periculoſum, 7 q. 1. §. præterea, quib. mo. feu. amit. in
vſib. feud.* Facit, quod filius adeundo hereditatem patris in qua o-
neratur, ſe obligat hiſdem oneribus: & ita tacite renuntiat iuri
primogenituræ, & poſtquam agnouerit, tenetur voluntati pa-
tris ſatisfacere, *l. Papinianus, § ſi conditioni parere, & l. pen. §. fin. &
l. ſi. de inoff. teſta. P. l. parentib. §. 1. C. eo. l. 2. C. de iure del.* Poterit & fa-
cilius expreſſe hoc ius remittere: vt & probari videtur *per c. licet,
de voto*, ibi, *nec ſi onus a patre tibi iniunctum, & a te ſponte ſuſce-
ptum, &c.* Quid porro mihi videatur aperio me admittere qui-
dem primogenitum poſſe repudiare ius ſibi delatum, ſed cedere
alteri vel alienare, antequam aduenerit effectus, non poſſe. Re-
pudiatione porro facta, ius illud non ad ſecundogenitum, ſed ad
omnes fratres pertinebit æqualiter diuidendum. Et ita iudica-
tum fertur in curia ſuprema Pariſiorum 9. Sept. 1552. *Pap. libr. 21.
Rapſo. areſtor. tit 5. are. 1.* Et eſt textus pro hac ſententia expreſſus,
*in l. cum patronus, l. 28. de leg. 2.*

## De pacto de Non ſuccedendo facto a filia vel filio, aliquo a patre accepto, quid ſtatuat ius ciuile. Cap. 10.

1 *Filia dote contenta, vel filius aliquo accepto renuntiantes futuræ ſucceßioni pacto, non prohibentur non obſtante pacto iure ciuili ſuccedere patri, & ſeq.*
2 *Filii meritis potius, quam pactis, ſunt ad obſequia paterna prouocandi.*
3 *Præſentibus paucis renuntiatur maioribus futuris facile.*
4 *Gaudium nimium & timor reſtitutioni cauſſam dant legitimã.*
5 *Inteſtati ſucceßio publici iuris.*
6 *Pactum inter patrẽ & filiumfa. iure ciuili non habet obligationẽ.*
7 *Repudiatio ſucceßionis vel legati antequam deferatur vel debeatur, non officit quin acceptari poßit cum defertur.*
8 *Legitima relinqui poteſt tantum titulo inſtitutionis, correctis iuribus contrariis.*
9 *Renuntiatio ſucceßionis a filia facta, non firmatur iure ciuili iuramento.*
10 *Legitimari poteſt ſpurius ea lege, ne ſuccedat patri.*

COnſtituemus † in formula alia pacti de non ſuccedendo, a- 1
xioma aliud iuris ciuilis, quod poſtea ſequenti capite latius
eodem iure & pontificio, Deo fauente, pertractabimus. Pactum
in dotis conſtitutione vel traditione factum, ne quid filia aliud
ex hereditate patris ſperaret, non mutat ius ſuccedendi: hoc eſt,
non impedit, quo minus filia ſuccedere patri poſſit, *l. ſi. de ſuis &
legi. in P. l. pactum dotali, C. de collat.* Quod & in filio aliquid acci-
piente a patre, ea lege ne poſſet querela inofficioſi experiri, ve-
rum eſſe putandum eſt, *l. ſi quando, 35. §. illud, de inoff. teſt. C.* Ratio
prior huius ſententię, quod pactum de hereditate, ſiue ſit de ſuc-
cedendo, ſiue de non ſuccedendo, contra bonos mores eſt.
Hanc rationem non probo, proinde non immorabor. ¶ 2. Ratio
ex † Papiniani reſponſo eſt relata per Imperatorem, *in d. l. ſi* 2
*quando, §. illud*, quod meritis magis filii ad paterna obſequia
prouocandi ſunt, quam pactionibus adſtringendi. Sic venalis a-
mor prohibetur, & filii in obſequio retinentur naturali, dum
putant bona paterna ex liberalitate eorum ad ſe peruentura iux-
ta votum naturale parentum, qui cuncta liberis ſuis parant, *l. ſcri-
pto, vn. libe. l. cum ratio, de bon. damnat. P. l. nam & ſi parentib. de inof.
teſta. in P.* ¶ 3. Iſtæ † renuntiationes futuræ legitimæ ſucceſſioni 3
videntur quodammodo captioſæ, quia modico præſente filius

aut filia poſſet temere pingui ſucceſſioni renuntiare: quod lex
non probat in alimentis etiam debitis remittendis, niſi auctore
prætore, & cauſſa cognita fiat remiſſio, *l. cum hi, de tranſ. P.* ¶ Et
4 lex † ſubuenit nimiæ facilitati, potiſſimum mulierum, *l. 2. ad Se-*
*na. Velle. P.* quæ dum coniugis habendi deſiderio tenentur, etiam
nullo accepto, vel dote exigua contentæ, bonis paternis incon-
ſiderate cederent, *l. 2. de indic. vid. toll. C. c. 1. de frig. & malef.* & fu-
rore amoris nihil vehementius, *§. nouimus, quib. mod. natur. effic.*
*ſui, in auth.* Et qui ob immodicum gaudium renuntiat, reſtituen-
dus venit, *gl. in § ſerui, de libert.* Quemadmodum & quod calore
iracundiæ factum eſt, a lege reuocatur, *c. quod calore, de regu. iur. in*
*6.* Quod iudicio factum nec quicquam ex his videtur. Vt enim
timorem, ſic & lætitiam inter perturbationes animi poſuerunt
5 Philoſophi *Cic. 4. Tuſc.* ¶ 4. Facultas † ſuccedendi ab inteſtato,
iuris eſt publici: quia lege proximi ordine ſucceſſuri vocantur,
auctoritate etiam legis naturæ, *l. ſi. quo. bono. C. l. 1. vnde vir & v-*
*xor, C. l. 1. § legitima, de ſuis & legit. hered.* Et quæ iuris publici ſunt,
pactis priuatorum lædi non poſſunt, *l. ius publicum, de pactis. P. l.*
*quod de bonis, 15. § 1. ad leg. Falci. P. expreſſe in hac hypotheſi, in l. ſi de*
*ſu. & legi. P.* Et *in l. cum ratio, de bon. proſcript. P.* traditur, neque iu-
dicio parentum poſſe filios a ſucceſſione eorum parentum ſub-
moueri, *in l ſcimus § ſancimus, & l. quoniam, de inoffi. teſt. C.* ¶ 5. Re-
6 iicit † hoc pactum de non ſuccedendo ius ciuile, quia improbat
pactum omne inter patrem & filiumfam. vt non naſcatur inter
eos ex eo obligatio ciuilis: etſi aliquando naturalis oriatur, *l. fra-*
*ter a fratre § quæſitum, de cond. indebi. P. § item inutilis, de inut. ſtip.*
7 *P.* ¶ 6. Qui † remittit vel repudiat ius hereditatis nondum ſibi
delatæ vel legati non delati, poteſt non obſtante illa repudiatio-
ne cum defertur acceptare, *l. 1. § quod ait prætor, quo. legat. l. is qui*
*heres, 13. l. is poteſt, & l. ſi quis extraneus § hæc ita, de acqui. hered. P. l.*
*qui poteſt, de regul. iur. l. 1. § decretalis, de ſucce. eod. P.* Ceterum filio
filiæve legitima ſeu ſucceſſio paterna non debetur, niſi mortuo
patre. *l. 1. § ſi impuberi, de collat. bono. in P.* Ergo non obſtante illa
renuntiatione, cum eis deferetur, recte poterunt ſuccedere. ¶ Et
8 poſtremo † ſucceſſio quæ debetur filiis in vita patris, non quoli-
bet titulo hodie relinqui poteſt, ſed tantum iure inſtitutionis, *§.*
*aliud quoque, vt cum de appel. cog.* In quo correcta etiam eſt au-
then. nouiſſima, *C. de inoffic. teſtament.* quæ quocunque relinque-
re permittebat titulo, ne rumperetur teſtamentum ex querela
inofficioſi teſtamenti, ſi filius filiave habuiſſent tantundem,
quantum eſſet legitima, aliquo titulo a patre, vel donationis vel
dotis, iuxta etiam priſca iura Pandectarum & Codicis, *Pap. § ſi*
*quis mortis, & l. ſi non mortis, de inoffi. teſta. l. vni. § videamus, de rei*
9 *vx. act. C.* ¶ Neq; † hoc ius ciuile conſiderat iuramentum, quod
apponi poſſit pacto huic de non ſuccedendo: quia contra leges
appoſitum non exiſtimat obligatorium, *l. ſi quis inquilinos, § fin.*
*de lega. 1. l. non dubium, C. de legib.* Et cenſetur a patre, qui auctori-
tate multum in filios valet, metu extortum, *arg. l. fin. de li. cau.*
10 ¶ Neq; † ad rem pertinet, quod receptum eſt pactum cum ſpu-
rio legitimando, vt legitimatus non ſuccedat patri, vt ait Georg.
Natha, *in ca. quamuis, de pactis, in 6.* Nam ſpurius reſpectu patris
cenſetur eſſe extraneus, quia pater eſt ei incertus, *l. vulgo conce-*
*pti, de ſtat. homin. § ſi aduerſus, de nup. apud Iuſtin.* Et proinde di-
uerſa ratio, & licet illi excipere hoc ius a filiatione legitimatio-
nis: & qui potuit condere legem legitimationis, potuit & ſuum
conſenſum ea exceptione firmare, *argu. l. 1. & fin. C. de leg. ca. 1. de*
*conſ. vti. vel inuti.*

## De Renuntiatione ſucceſſionis, quæ fit a Filia dote contenta, ex iure pontificio & vſitato. Cap. 11.

1 *Filia dote contenta, quæ renuntiauit ſucceſſioni paternæ, quando regreſſum habeat, & ſeq.*
2 *Legitima minui pacto & ſtatuto poteſt.*
3 *Filiæ non ſuccedebant patri exſtantibus maſculis.*
4 *Filia renuntians facit partem, & tamen non admittitur ad partem.*
5 *Filii maſculi conſeruant familias, & earum nomen.*
6 *Filius non poteſt renuntiare ſucceſſioni patris.*
7 *Filia ſpuria dotata, ſiue renuntiauerit, ſiue non, non habet regreſſum vnquam ad bona paterna.*
8 *Filia impubes non renuntiat valide ſucceſſioni dotata, nec cum iuramento, etiam ſi prius ſe eſſe iurauerit puberem, & 9. 10.*
11 *Minor maiorem ſe aſſeuerans quando ſibi præiudicat.*

Diximus † præcedente capite iure ciuili improbatas eſſe pa- 1
ctiones filiarum renuntiantium, dote vel parte aliqua acce-
pta, futuræ ſucceſſioni paternæ. Quid iure autem pontificio pla-
cuerit, videndum eſt: & explicandum *c. quamuis, de pact. in Sex.*
Et proinde hoc axioma pluribus explicandum conſtituemus.

*Filia 1, pubes 2, dote contenta 3, renuntians patri 4, non vi non metu 5, futuram eius ſucceſſionem cum iuramento 6, ſuperuiuens 7 patri, non habet regreſſum ad bona paterna ab inteſtato. De ſingulis iſtius axiomatis verbis tractatur ordine ſecundum adiectos numeros, de 1. 2. in hoc c. de 3. in c. 12. de 4. in c. 13. de 5. in c. 14. de 6. in c. 15. & de 7. in c. 16. de 8. in c. 17.* Hoc axioma primũ generaliter, deinceps per
ſingula verba excutiendum. Atque inprimis probatur *ex d. c.*
*quamuis, & ex § 1. de fil. natur. ex matri. ad Morgan. contra. in lib.*
*feudo.* ¶ 2. Quod † fieri poteſt per legẽ, fieri poteſt per pactum, *l.* 2
*non impoſſibile, de pact. in P.* vt contra, quod non poteſt per pa-
ctum fieri, nec per ſtatutum poteſt, *glo. in rubr. de decre. decurio. li.*
*10. C.* quod eſt lex ciuilis, *l. de quibus, de legibus & l. omnes populi, de*
*iuſt. & iure, P.* Statuto porro poteſt minui legitima, *Cyn. in l. ſan-*
*cimus, C. de nupt. Bart. in l. Titio centum, § Titio genero, de condi. &*
*demonſt. Ang. in l. Papinianus, § quarta, de inoffi. teſt. P.* Idipſum igi-
tur pacto effici poterit. ¶ 3. Filia, † quæ eiurat ſucceſſionem fu- 3
turam, cenſetur ius ſuum remittere in fauorem fratrum maſcu-
lorum, ſiue fratri fiat ſiue patri renuntiatio, propter præſumtam
affectionem æqualem, vt ait Dynus *con. 6.* quem refert Baldus *in*
*l. pactum, C. de collatio.* Facili ergo negotio pactum firmandum.
Quia de facili res ad ſuam naturam redit, *l ſi vnus, § pactus ne pete-*
*ret, de pact. P.* Et natura antiqua ſuccedendi erat, vt exſiſtentibus
maſculis filiæ parentibus non ſuccederent, *l. maximum vitium,*
*de lib. præt. nu. c. 27.* ¶ Quo † fit, vt filia renuntians faciat quidem 4
in bonis defuncti patris partem, ſed ad eam partem non admit-
tatur mortuo patre, ſiue is ſine teſtamento, ſiue cum teſtamen-
to mortuus dicatur & agatur de legitima filiorum aliorum cen-
ſenda. Et ita pars filiæ renuntiantis inſtituto heredi a patre ac-
creſcet, cui pater pacto prouidiſſe videtur, *per l. ſi pactum, de pro-*
*ba. P. cum notatis, in l. qui repudianti, de inoffi. teſtam. P. & in l. plane,*
*1. § ſi duobus, de legat. 1. & ita ibi tuentur Bald. Angel. Lance. Deci.*
*Guil. de Cuneo in aut. nouiſſima, C. de inoff. teſta. Ale. conſ. Pet. Iac. in*
*titul. de condictione, ex l. omnimodo ex teſtamento, ver. ſed quid erit*
*in praxi.* Et ita iudicatum tradit Guido Papæ *q. 599. & 295.* Niſi
ſingulari nomine, in fauorem alicuius certi fratris renuntiaue-
rit: nam tunc pars renuntiantis ad illum ſolum pertinet, *Bald. in*
*l. ſi actionem, C. de pact. & in l. ſi defunctis, de ſu. & legi. Pau. Caſtr. &*
*Areti. in d. § ſi duob. Examinat hic Boe. q. 104. nu. 1. & 9.* Et ita por-
tio excluſæ applicatur ei, cuius contemplatione excluſa eſt, *per l.*
*2. § ſi duo fratres, de colla. bono. P. Bar. in l. 2. § videndum, ad Trebel.*
*Chaſſ. ad conſue. Burg. ad tit. des ſucceſſions, § 12. ver. ſed veritas.* ¶ Po-
ſtremo † loco leges facile permittunt filiabus renuntiare acce- 5
pta dote reliquis, vt faueant maſculis, quorum erat ab initio ſuc-
ceſſio tantum, vt dixi, remotis filiabus vt conſeruarentur fami-
liæ in nomine maiorum, *§ item vetuſtas, de her. quæ ab inteſtat. de-*
*fer. § ceterum, de leg. agn. ſuc. § final. de patr. poteſt. § atqui per fœmi-*
*ni. de legi. agn. tut.*

Στῦλος γὰρ οἴκου παῖδές εἰσιν ἄρρενες. vt ait Menander, id eſt, *Columna domus ſunt filii maſculi.*

Et Euripides *in Electra actu 4.*

Καίτοι τόδ' αἰσχρὸν προστατεῖν γε δωμάτων
Γυναῖκα, μὴ τὸν ἄνδρα. κἀκείνους στυγῶ
Τοὺς παῖδας, ὅστις τοῦ μὲν ἄρσενος πατρὸς
Οὐκ ὠνόμασται, τῆς δὲ μητρὸς ἐν πόλει, id eſt,
*Atque illud turpe eſt, præeſſe domui*
*Mulierem, non virum. Et illos exoſos habeo*
*Filios qui maſculi patris nomen*
*Non gerunt, ſed a matre habent in republica.*

Diodorus Siculus *lib. 19. hiſt.* laudat prudens Antipatri regis mo-
rientis conſilium, qui ſuos admonebat, viderent, cauerentve, ne
regni gubernacula mulieri committerent. Quod cum illi con-
temſiſſent, & Olympiadis Magni Alexandri matris imperi-
um toleraſſent, in grauiſſimas calamitates inciderunt, quas
ipſe refert. Plato *11. de legib.* filiæ quæ viro eſt deſponſata nihil
vult a patre relinqui. ¶ Obſeruamus † itaque, vt qui renuntiat ſit 6
filia, non filius. Quia ſi filius accepta donatione a patre, de
non ſuccedendo pactum fecerit, non eſt idem ius ſtatuendum:
quia ceſſat ratio, *Iaſon, in rubr. de acqu. poſſeſſ. in fin. Chaſſ. ad § 12. de*
*ſucceſſio. in verb. fœminis, in conſuetud. Burg.* ¶ Item conſidera † ſe- 7
cundo, hic agi de filia naturali & legitima, *l. filium eum definimus,*

*de*

*de iis qui ſunt ſui vel alie. iur. §. ſi vero aduerſus, de nupt. l.1. §. ſi quis, de Carbo. ed. l.1. §. Iulianus, de li. agnoſcen. P.* nam de ſpuria ſi agamus, & ea dotata ſit a præſumto patre, ea nullo modo, etiam ſi exiguam habuerit dotem, & quamuis non renuntiauerit, habet regreſſum ad bona paterna, tanquam minus dotata. Quamuis enim olim, dum permiſſus erat concubinatus, naturalis filia certa parte donanda eſſet ex bonis patris naturalis, *authe. licet, C. de natur. li.* ſpuria tamen nihil poterat petere, *auth. ex complexu, eo.* nec hodie: exceptis alimentis, quæ miſericordia iuris pontificii ei concedit, *gl. per c. cum haberet, de eo qui dux. in matrimon. quam prius polluer. per adult.* Nec ideo tamen illis dos immenſa conſtitui debet, ne nimium eis deferamus, *iuxta l.1. §. fine itaque, de naturalib.* Et in hac ſpecie ſic reſoluit Arnold. Ferronus *ad §.14. de teſt. in conſue. Burdeg.* Veruntamen ſi ſpuria ſit legitimata per ſubſequens matrimonium, eadem reſpondenda ſunt, quæ in naturalibus & legitimis locum habent, *Bal. in l. eam quam, col.8. & in l. cum acutiſſimi, & ibi Pau. Caſtr. C. de fideicom. Chaſ. in §.12. de ſucceſſio. ad verb. tant qu' il y a filz, verſ. intellige, etiam in conſue. Burg.* Et hoc eſt igitur primum, quod axioma noſtrum conſiderat in pacto valido eiurationis, vt quæ eiurat, ſit filia, id eſt naturalis &
8 legitima. ¶ Secundo † exigit, vt ea ſit pubes. Quod Ancharanus obſeruat, *ex c. quamuis, de pact. in Sex.* quia, inquit, filia quæ paciſcitur in eo capite datur nuptui, & impubes dari non poſſit, *c.1. de ſponſ. impub.* Item pactum appoſitum eſt in dotis conſtitutione vel datione, dos autem non eſt nec cenſetur conſtituta, niſi ſequatur matrimonium, *l.4. §.1. de pact. P. l. iure ſuccurſum, & l. ſtipulationem, de iur. dot. P. l. fi. C. de do. inter vir. & vxor.* & matrimonium contrahi nequit, niſi cum pubere, *ca. puberes, de deſpon. impub. ap. Greg. c.1. eod. in 6. §.1. de nup. apud Iuſtinian. l. minorem, de ritu nup. P.* Pubes fœmina anno 12. maſculus 14. cenſetur, *§ fin. qui-*
9 *bus mod. tute. finitur, l. fin. quan. tutel. cura. eſſe deſi.* ¶ Dehinc † ſecundo, impuberes non poſſunt contrahere vel obligari, *l. pupillus, & l. obligari, de actio. P. §.1. de auct. tuto. l. in negotiis, de regu. iur. P. Iulianus, § ſi quid a pupillo, de actio. emt cum ſimil.* Sed neque minorum res ſine iudiciali auctoritate diſtrahi poſſunt, *l. magis puto, §. non paſſim, de re. eor. qui ſub tut. vel cur. ſunt. P. to. ti. de præ. & aliis re min. C.* Et proinde in contractu impuberis, neque iuramentum robur addere poteſt: quia nec is iurare in ſui præiudicium poteſt, nec peierare dicitur, quia ſciens fallere non videtur, *l. qui iuraſſe, de iureiur. P. c. pueri, 22. q.5. auth. ſacramenta puberum, ſi aduer. vend. C.* Nec iuramentum eius iudicio conſtat, quod eſt vnum ex tribus requiſitis in firmo iuramento, *c. etſi Chriſtus, de iure, c. animaduertendum, 22. q.2. Hiere 4. auth quod eis, C. de nup.* Neque impubes erga Deum promiſſo voto obligatur, *l.2. §. voto, de pollicita. c.1. c. ad noſtram, & c. nullus, de regulari. c. ſi quis laicus, 16. q.1. to. 20. q.1.* Sed & cum ætatis fragili conſilio, *in l.1. de minor. P.* accedit fragile & debile ſexus fœminei conſilium, *l.2. ad ſenat. Velleian. C.* quod ſæpe contra propria capit commoda mulier, *l.4. C. de ſponſal.* Et vt facilis eſt ad promittendum, ita facilior ad iurandum, *auth ſi qua mulier, C. ad Senat. Velleian. l. doli*
10 *mali, verſ. diuerſum, de donatio. P.* ¶ Remanet † tamen ſcrupulus Bartoli, ſi impubes ſe puberem eſſe iurauerit, antequam contrahat & renuntiet, & poſtea pactum iuret, num improbetur impuberis eiuratio. Panormitanus ratus eſt valere pactum & irreuocabile, *conſ. 71. incip. in hac cauſſa, verſi. ſed his non obſtantibus, vol.1.* Ego tamen diuerſam ſequor ſententiam, nec hoc iuramentum valere reor: quia pater ex dolo ſuo lucrari non debet, *l. ne ex dolo, de dol. P.* Doloſe autem verſatus videtur, qui exegerit iuramentum a filia quod maior eſſet, cum tamen ille cuius eſſet ætatis rectius ſciret, *argu. l. cum quis, §. codicillis, de leg.3. in auth. de iurei. a mor. præſti. facit text. in l. cum pater, § filius matrem, de leg.3. ca. ſuper eo, de renuntiat.* Item, quia impulit iuuare, cum aliter illa
11 non eſſet contractura, *l. ſi quis cum aliter, de verb. oblig.* ¶ Nec † me dimouent ab hac ſententia leges, quæ puniunt minores qui ſe maiores dixerint, & quæ defendunt per eos geſta, *titu. C. ſi mi. ſe maio. dix.* Nam illæ locum habent quando minores decipiendi alterius cauſſa ſe maiores dixiſſent: non autem ſi bona fide tales ſe putarent, vel ſi ipſi decipiantur. Et ita iura deceptis, non decipientibus ſubueniunt, *l. auxilium, de minor. l.2. ad Velleia. P. l.2. C. ſi aduerſ. del.* Et falſæ confeſſiones non malitioſe factæ, quæ naturalibus non conueniunt, non ſolent obeſſe, *l. confeſſionibus, 14. & l. ſi is cuius, 15. §. fi. de interr. actio. P. l.1. C. de confeſſ.* Deque ætate eius, qui ſe maiorem dicit, cauſſa cognita probandum eſt, *l. de ætate, de minor. 25. an. cum ſimil. ibi nota.* Et in hac cauſſa mihi adeſt Paulus Iuriſcon. dum vult, vt ſi curatores ſcientes minorem ſum eſſe infra 25. annum, poſt eius affirmationem quod eſſet maior, paſſi ſint eum pecunias ei debitas accipere, & is eam conſumſerit tenentur & debebunt hoc nomine conueniri, *Pau. in l. mino. 25. annis, l.33. eo. P.* nec dolo caret is, qui ſciens prudenſque falſum iuſſit affirmari, *l. ſi quis affirmauerit, de dolo, in P.* vt hic pater, qui ætatis filiæ certus erat.

## Quando Filia renuntians dicatur dote contenta. Cap. 12.

1 *Dote contenta quando dicatur filia renuntians. Et ſeq.*
2 *Dos ſemel conſtituta a patre filiæ, an minui ab eo poſſit, & num illam conferat fratribus.*
3 *Legitima filiæ dotatæ habentis regreſſum, computatur habita ratione patrimonii patris, quod erat tempore conſtitutionis dotis ſi excludatur pacto: non autem ſi ſtatuto.*
4 *Dote contenta num dicatur, cui poſt pactum renuntiationis tantum dos tradita eſt? & ſi tantum promiſſa, aut non: & ſi non ex bonis patris data, aut non ſufficienter, num.5.6.7.8.9.*

TErtio † loco dicimus in axiomate renuntiationis, filiam do- 1
te contentam renuntiare: quæ verba admonent, vt duo perpendamus, videlicet dotem, & quod filia ea fuerit contenta. Nam præcipuum, quod hic videtur firmare eiurationē reliquorum bonorū, dos eſt, quam filia accipiens, veluti præcoci ſolutione legitimæ, quæ debetur tantū poſt mortem patris, *l.1. §. ſi impuberi, de collat. bono. P.* beneficiū videtur accipere, & plus quam nō debeatur: plus enim petit, qui ante tempus petit, *§. plus autē,*
*de actio. cap.1. de plus peti. ap. Greg.* ¶ Citius † quoq; dotem accipi- 2
endo modicam, plus re accipit quam debeatur tempore mortis. Poteſt enim pater, qui dotē dedit filiæ poſtea labi facultatibus; & tamen nō minuetur dos ei data: præterquā ſi ſumma clade repentina is affectus, reuerſa dote ad illum, alimentorū cauſſa aliquantū minuatur, *auth. quamuis, C. de rei vxor. act.* Nec mortuo patre filia diminuto patrimonio patris, poteſt a fratribus cogi conferre dotē, ſi nolit ſuccedere patri, *l. fuit quæſtionis, de coll. bon. P. l. filia dotem, C. eo.* Atq; ſtatim dote accepta, & matrimonio collocata filia, incipit marito, non patri laborare & quærere, *l. ſicut, de oper. libert. P.* Quamobrem, vt tradit Iacobus Butrigarius, in æſtimanda legitima filiæ, quando datur ei regreſſus aduerſus pactum, non habetur ratio valoris patrimonii patris, quod eſt tempore mortis eius, ſed quod erat tempore dotis conſtitutæ, *Iaco. Butr. in l. pactum, C. de collat.* Quod & alii ſequuntur, *Bal. in l. quānis, C. de fideicom. Cuman. con.188. Diſputat Ferro. in §. de teſta. in con. Burdeg.*
¶ Licet † diſſentiat Pau. Caſt. *con.73. & 201. li.1. conſ.* cuius tamen 3
ſententia præualebit, ſi filia dotata excludatur ſtatuto, & non pacto: nam tunc habetur ratio patrimonii exſiſtentis tēpore mortis patris, non dotis conſtitutæ, *Chaſſa. ad §.12. & ad ver. ne retiendra point, verſ. Sed aduerte, tit. des ſucceſſions, in conſue. Burg.* Proinde cum conſtituta dote, renuntiatione facta per filiam, periculum diminutionis facultatum patris non afficiat dotem: æquum eſt, vt neq; incrementū facultatum eam augeat, ſed lucrum cum periculo damni cōpenſetur, *l. ſecundum naturam, de reg. iur.* Et ita dubius exitus lucri & damni tollit conuentionis omnē iniquitatem *in l. ſi pater puellæ, C. de inoffi. teſta. l. de fideicommiſſo, C. de tranſ. l.1. C. de pact. l. ſucceſſione, 2. de iis quæ in frau. cred. C. l. ſi ea lege, C. de vſur.* Ideoq; pactum quodcunq; in dotis traditione appoſitum, retinebitur, *l. legem quam dixiſti, C. de pact. l. in traditionibus, eo. tit.*
*P.* ¶ Sed † vtilis hic quæſtio, num per illa verba, dote contenta, 4
exigatur ad excludendum regreſſum poſt pactum dotem traditam fuiſſe. Et certe pugnant hic interpretes. Nam Bar. & Sal. *in l. pact. quod dotali C. de pact.* Pet. Ancha. *in c. quamuis, eod in 6.* arbitrantur, ſi tempore pacti dos tradita non ſit, non obligari filiam illa renuntiatione. Accedit, quod dotem non facit cautio, ſed numeratio, *l.1. C. de do. cau. non nu.* In contraria autem ſententia ſunt Imola & Geminianus, *in d. ca. quamuis, de pac. in 6. & in l. qui ſuperſtitis, de acq her. & in l. ſtipulatio hoc modo concepta, de ver. obl. P.* Refert omnium rationes Georgius Natha, & Geminianus, *ad c. quamuis, de pact. in ſex.* Ego tamen exiſtimauerim diſtinguendum eſſe num dos aliqua aſſignata ſit filiæ dum nuptui daretur, an nulla fuerit aſſignata. Quod ſi ea conſtituta ſeu aſſignata tunc fuerit, & illa ea contenta renuntiet, valeat renuntiatio, quamuis non fuerit tunc tradita. Quia habere videtur rem, qui habet actionem ad eam repetendam, *l. qui actionem, 15. de regul. iur. l. ſi quis vi, de acq. poſſ. l. rem in bonis, de acqu. rer. dom. l. bonorum §. in bonis, eod. l. nemo videtur, §. de reſtitution. in integr. P.* ¶ Itaque † & ſanior 5
tuetur opinio in ſtatuto, per quod filia dotata a patre nihil am-

plius petere poteſt, & niſi quod per patris teſtamentum ei legatur pro dote, excludere filiam, etſi adhuc illa nupta non ſit, & quamuis ſine matrimonio eſſe non poſſit dos, *Bart. in l. Titio centum, §. Titio genero, de cond. & demonſt. Chaſſa. ad §. 12. ad ver. viuantz ſes pere & mere, tit. des ſucceßions, in conſu. Burg.* quia ex dotis aſſignatione facta in teſtamento, dotata videtur filia, cum & pater moriens deſignare eam in vxorem ali. ui teſtamento poſſit, *l. non eſt, de rit. nupt. l. qui pupillam, ad l. Iul. de adult.* Et ſtatuti verba quæ excludunt filiam a patre dotatam a ſucceſſione patris, intelliguntur verificata, quando pater actum dotandi exercuit, *per l. mulier, §. 1. de condit. inſtit. Ale. Imola, conſ. 34. in 6. volu.* quamuis videatur contrarium reſpondiſſe Bartolus, *conſ. 31.* Et cum illo reſoluunt etiam Ancha. *conſ. 132.* Ludo. Ponta. *conſ. 133.* Sed priorem ſententiam ſequitur Arnol. Ferro. *in §. 13. de teſta. in conſue. Burdeg.* dummodo inquit, de bonis patris per illum ſit dotata, & illa non ſit poſthuma. Addit & *in §. 15. eius titu. ex text. illius §.* quod ſicut dotata filia excluditur, ita & ea cui nondum dos ſoluta, ſi fuerit fides habita de pretio cum eſſet promiſſa a patre, cum dos promiſſa veræ dotis nomen retinere videatur, *argu. l. ſi pater, de dota. promißio. l. ſi mulier ita dotem, de iure dot. P. l. 1. de colla. dot. l. ad exactionem, C. de dot. promiſſ.*

6 ¶ Quod † ſi dos non fuerit aſſignata, non poterit dici dote contenta filia, quæ dotem non habet. Et non exſiſtentis nullæ dici poſſunt qualitates, *l. eius qui in prouincia, de reb. credi.* Nec renuntiatio itaque valebit. Etenim dos ſuccedit in locum legitimæ, *Io. Andr. in c. ex tenore, de for. compet. l. Pompon. Philadelphus, famil. erciſcun. P. l. quoniam nouella, de inoffi. teſtam. C.* ¶ Et quem-
7 admodum † ea tolli omnino non poteſt, ſic nec renuntiari: ſub prætextu quod dote contenta ſit. Et ſi fieret, accideret vt ſi quando maritus eius præmoreretur, illa indotata remaneret, & contra vtilitatem reipub. *l. 1. de in dot. P. l. 1. ſolu. matri. P. l. 2. de ind. vid. toll. C.* eſſet innupta. Sed & dos ſuccedit in locum alimentorum præbendorum liberis, *l. quiſquis §. 1. ad leg. Iul. de adul. C.* Nemo autem futuris alimentis inconſulto prætore renuntiare poteſt, *l. cum ii. de tranſ. P. de alimentis, C. eo.* etiam cum iuramento, *c. cum quidam, de iureiur.* Succurrit, quod hæc renuntiatio nulla dote conſtituta, extorta a filia, arguit patris impietatem & quandam mentis alienationem: vt de patris exheredatione reſponſum eſt iniuſta, *l. 2. & 5. §. 1. & l. mater decedens, 19. de inof. teſta. P.* At non eſt conſentiendum parentibus, iniuriam aduerſus liberos ſuos inducentibus pacto vel teſtamento, *l. non eſt enim, 4. eo.* Et quemadmodum non licet patri exheredare iniuſte filiam, niſi cauſſa ſufficiens ſit & probata, *§. aliud quoque capitulum, vt cum de appe. cog.* ita non debet licere prætextu pacti vel iuramenti, immeritam ab omni parte hereditatis ſubmouere. Neque mihi placet Imolæ perfugium, *Imo. ad d. c. quamuis*, dum ait valere iuramentum & renuntiationem ſucceſſionis etiam ſi filia nihil acceperit a patre: quia inquit, per tale iuramentum de non ſuccedendo, non videtur renuntiari iuri petendi dotem, *vt in l. fin. de dot. prom.* nec iuri petendi alimenta. Et proinde cum pactum hoc, vt ipſe ait, non impediat petitionem dotis vel alimentorum, non videtur eſſe contra bonos mores. Tum etiam, quod renuntiando ſucceſſioni non cenſetur renuntiatum legitimæ, *l. ſi quando, §. illud, & § generaliter, C. de inoffi. teſt.* Et filia excluſa a ſucceſſione non cenſetur excluſa a dote: imo & poterit petere ſupplementum dotis exiguæ, ſecundum Cynum *in l. ſi non mortis, C. eod.* Siquidem iſtæ rationes non firmant opinionem. Nam in correctoriis, verba non ſunt mutanda: verba autem c. quamuis, de pact. quod corrigit l. fin. de ſuis & legit. P. meminerunt quod dote contenta filia iurauerit & renuntiauerit hunc in modum, *Quamuis pactum patri factum a filia dum nuptui tradebatur, vt dote contenta nullum ad bona paterna regreſſum haberet, improbet lex ciuilis: ſi tamen iuramento, non vi nec dolo præſtito firmatum fuerit ab eadem, omnino ſeruari debebit. Cum non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundet in alterius detrimentum* Quamobrem verba debent aliquid operari, *l. ſi quando de leg. 1.* vel expungi, *l. 1. quod me cau. P.* Quid enim verbis opus eſt, cum ex illis nullus ſequatur effectus, *l. fi. C. de donat.* Maxime cum æquitas iuris pontificii in eo videatur pactum approbare, & iuramentum, quod filia per dotem contenta ſit. Neq; fulciri poteſt ſententia Imolæ, *per l. fin. de dot. promiſſ.* vbi officium paternum dicitur dotem conſtituere filiæ, vt & alibi docuerat Iuriſc. *in l. qui liberos. de rit. nup. P.* Nam illa lex poteſt in contrariam partem potius retorqueri, ibi enim officium paternum dicitur, de ſuis bonis dotare filiam: & proinde ſequitur, honeſte patrem & ſine fraude non poſſe hoc omittere, ſed cogendum volentem omittere, *d. l. qui liberos.* Atq; ſi dixerimus poſſe renuntiari ſucceſſioni inteſtati patris, & non cenſeri renuntiari doti: contrarium hoc eſt naturæ ſucceſſionis ab inteſtato, in qua continetur & legitima & dos, quia hæc omnia veniunt in collationem, *auth. ex teſtamento, C. de coll.* Et ſæpius monuimus, ea non deberi niſi poſt mortem patris, *l. 1. §. ſi impuberi, de coll. bon. P.* Minus pro Imola facit *l. ſi quando, §. illud, de inoff. teſt. C.* Nam equidem pactum ibi de non agendo querela inofficioſi, non prohibet quo minus quis agere poſſit ad ſupplementum legitimæ. Sed id accidit, non quod legitima non contineatur ſub renuntiatione, vt ratus eſt Imola, ſed ex eo quod pactum nullum & inutile eſt. Ceterum, vt progrediamur ex verbis rurſum, dote contenta, obſeruamus, renuntiationem hanc fieri poſſe cum dos datur, & filia nubit, & nihilominus poſt nuptias cum dote contenta eſt, id eſt, quando poſt initas nuptias dos promiſſa ſoluitur, vel de ea fides habetur, his enim modis & dote contenta dicitur, *ſic tuetur Io. Monachus & de S. Geminia. in d. c. quamuis, de pact.* ¶ Item † dote contenta dicetur, quæ dotem ac- 8
cepit ex bonis patris: nam ſi pater filiam ex bonis propriis filiæ dotauerit, & ea hoc prætextu bonis patris renuntiauerit, illa ſummopere læſa & decepta erit, & proinde abſoluetur a iuramento, & reſtituetur in integrum, *diſputat Georg. Natha. in d. ca. quamuis, 10. col. 7. limi.* Nulla enim dos dici poteſt, quæ donatio eſt, *l. cum multa, de don. ante nupt. C.* ſi ea a patre conſtituatur ex bonis filiæ: nemini enim res ſua donari poteſt, *l. nemo rem ſuam, in 1. & 2. de verb. obl. P. §. ſic itaque, de actio.* Et præterea, iuramentum interpretationem recipit, ne quis ex eo immodice lædatur, *l. ſi libertus, in 1. §. de operis, de ope. lib. P. ca. veniẽs ca. quãto, de iureiu.*
¶ Notat † & Phil. Francus, quod quamuis renuntiatio fiat a filia 9
dote contenta, ea ſi incongrue ſit dotata, poſſit agere ad ſupplementum: etſi ſtatutum diſponat, quod filia dotata non ſuccedat, *Phil. Fran. in d. ca. quamuis, nu. 1. Bald in l. fin. de do. promi. C. per tex. in l. ſi filiæ, 41. de leg. 1.* Quia nomen dotis intelligitur de congrua pro modo facultatum patris, & dignitate natalium viri, *l. quæro, 61. & l. cum poſt 70. §. gener a ſocero, de iure dot. P. l. Titio centum §. Titio genero, de condit. inſtit.* Poterit itaque non obſtante renuntiationis iuramento petere ſupplementum legitimæ: niſi expreſſe renuntiauerit legitimæ & eius ſupplemento, *Io. Francus, in d. c. quamuis, num. 9. per l. ſi quando, §. illud, & §. & generaliter, C. de inof. teſtam.*

## De Perſonis, quibus fit renuntiatio ſucceſſionis per filiam dotatam. Cap. 13.

1 *Filia renuntians ſucceßioni dote accepta, an certior fieri debeat de effectu renuntiationis, & ſeq.*
2 *Iuramentum non extenditur ad incognita, niſi ignorantia ſit iuris.*
3 *Renuntiatio bonorum paternorum facta a filia fratribus viuente patre non valet.*
4 *Sed ſi iiſdem fiat mortuo patre, quando valeat, aut non valeat.*

QVarto † loco, in axiomate renuntiationis validæ ſucceſſio- 1
nis paternæ, adiecimus, renuntiationem fieri patri: nam inde videbatur conſiſtere tota vis improbationis per legem ciuilem, ex rationibus ſuo loco paulo ante traditis. Et proinde in hac renuntiatione quæri poteſt: Num neceſſarium ſit ante pactum & renuntiationem, pro eius efficacia, filiam certiorem reddi de vi & effectu renuntiationis. Et hanc quæſtionem mouet Geminianus, *in d. c. quamuis*, ſed non reſoluit. At quidam exiſtimarunt, prius certiorandam eſſe filiam. Quia, inquit Hoſtien. *in ſum. de fideiuſſo. §. & quis, & §. muliere*, iura quæ dicunt, quemlibet poſſe renuntiare iuri ſuo, ſiue his quæ pro ſe introducta ſunt, intelligi debent, quando fuit certioratus de præiudicio ſuo, *arg. 38. diſt. §. præterea tit. vt ſine prohibit. matr. debit. & cre. & c. in aut.* Firmari videtur idipſum, quod nemo remiſiſſe cenſeatur quod ſibi deberi ignorauerit, & de quo non præſumitur cogitaſſe, *l. fin. ad ſenatuſ. Velleia. l. qui cum tutoribus, §. final. & l. cum Aquiliana, de tranſ. in P. l. tres fratres, de pact. in P. facit l. mater decedens, de inofficioſ. teſtament. P.* Defendunt & Cynus *in l. 2. de rebus credit. Cod.* & Ioan. Andreas *in addit. ad Spec. in § 1. titul. de oblat. & ſolut.* mulierem eſſe certificandam, etiam ſi interueniat iuramentum: quia iuramentum non extenditur ad incognita, *cap. veniens. de non numerata pecunia Cod.* Contraria tamen verior eſt ſententia, & valere renuntiationem, alioquin legitime factam, etiam ſi expreſſe non fuerit explicata res filiæ: quia verba formulæ renuntiationis, *renuntiat bonis paternis, maternis, præſentibus & futuris,*

ſatis

ſatis manifeſte rem explicant. Et filia præſumitur ſcire vires patrimonii patris, vt certa certior amplius reddi non debeat, *l.1.in fin.de actio.em.P.l.1.C.ad Velleia.l.1.§.eleganter,depoſ.P.facit l.fin. quan.mul.off.tut.fun.poſſ.C.in auth.vt liceat mat.& auiæ,* quod ſi neſciat, debet ſibi imputare, *l.quiſquis,de reſc.vend.C.facit & c.p. pen.de emt.& vend.* facit, quod notabiliter ſcribit Paul. Caſtrenſis *ad auth.ſacramenta puberum,ſi aduerſ.vend. & conſil.68.incipi. viſo puncto*, quod vbi ignorantia conſiſtit in iure, iuramentum ad ea, quæ hoc modo ignorantur, extenditur: quia lex fingit iurantem omnia ſcire, quæ in iure conſiſtunt. Iuris enim ignoran-
2 tia neminem excuſat, *l.1.& 2.de iur.& fact.ign.P.* ¶ Notat † & Guido Pap. *q.227.* quod ad hoc vt quis ſibi præiudicet per iuramentum, ſufficit iurari ſuper facto, nec ſcientia requiritur *per l.ſi duo,§.idem Iulianus,de iu eiu.* Et hanc ſententiam noſtram defendit expreſſe Geo Natha, *in d.ca.quamuis pactum,colu.15.verſ. an autem ad hoc,cum col.ſeq.* Et ſecundum eam iudicatum docet
3 Guido Pap. *d.q.227.* ¶ Sed † quæritur nunc, num pactum de non ſuccedendo patri, factum cum fratribus a filia, vallatum etiam iuramento, habeat validam renuntiationem. Qua in quæſtione diſtinguendum arbitror, an pactum hoc factum ſit cum fratribus viuente patre: & ſine conſenſu illius: & tunc non valet, neque eſt obligatorium quod acceſſit iuramentum, *idem Natha, ad d.c.quamuis,colu.11.in 10.l.mit.& ibi Petr.de Ancha.Imo.& Gemin.Bal.& Sal.in l.fi.C.de pact.* Tum quia decretalis, quamuis, correctoria eſt legis ciuilis, & loquitur de pacto facto patri & ideo non eſt vltra proroganda ad fratres, *c.quæ a iure.& c.odia,de regul.iur.in 6.l.quæ contra,de legi.P.* Item pactum habita ratione fratris & patris, eſſet de futura ſucceſſione viuentis, quod iam
4 pluribus improbatum fuiſſe docuimus. ¶ Aut † fit pactum cum fratre ex conſenſu patris: & tunc valebit, ſi is perſeuerauerit in ea voluntate vſque ad mortis periodum, *ſecundum l.fi.C.de pact.& l.fi.iuncta auth.ſi modo,C.famil.erciſ.* Aut de hereditate patris mortui renuntiatio fit fratribus, & tunc proculdubio valebit pactum in eius fratris vtilitatem, in cuius fauorem fit. Quia pactum oſtendimus validum de renuntiatione vel de hereditate iam quæſita mortui, *diximus ſupra & facit,l.1.C.de pac.l.qui Romæ,§.duo fratres,de ver.obli.l.de fideicommiſſo,C.de tranſact.l.illud, de acq.hered.cum ſimi.* dummodo quippiam aliud non impediat pactum, veluti dolus metus, minor ætas ſororis, vel aliud ſimile. Tunc enim nec iuramentum pactum firmaret, ſed daretur reſtitutio in integrum, *c.cum contingat,de iureiur.auth.ſacramenta puberum,ſi aduer.vendi.C.Federi.conſil.194.Phil.Fran.in c.quamuis, nu.11.de pact.in 6.* puta, ſi dolo fratrum dicentium relictum eſſe in teſtamento quippiam ſorori a patre, cum tamen nullum factum eſſet a patre teſtamentum, illa accepto legato iurauerit ſe non habituram regreſſum ad bona paterna vel materna, *Fed.d. conſi.194.Ancha.in c.acceſſorium,in fin.nu.5.de reg.iur.* Atque Ancharanus *in d.c.acceſſorium*, reſoluit, minorem 25. annis, accepta dote a fratribus, enormiter læſam renuntiando hereditati paternæ, non obſtante iuramento reſtitui, & reſcindi contractum propter iniquitatem in eo contentam, cum iuramentum non ſit vinculum iniquitatis: iniquitatem perpendendo ratione iniuſtitiæ, prout iura expreſſa hac de re explicant, *c.inter cetera,22. q.4.c.animaduertendum,22.q.2.c.quanto,de iureiur.* Circumſtantiæ porro negotii facile detegent dolum minor ætas, *l.1.de mino. 25.ann.* fragile conſilium ſexus, *l.2.ad Velleia.* facti qualitas, *l.1.de do.except.l.ſi quis cum aliter,de verb.obl.P.* & ſimilia: ex quibus facilis erit veniæ iuramenti impetratio contra contractum dolo initum, *cap.abbas,quod me.cauſ.cap.ſi vero,de iureiur.*

## De Renuntiatione Succeſſionis præſentis & futuræ, & de dolo & metu interuenientibus. Cap.14.

1 *Renuntiatio, & promiſſio de renuntiando a filia dotata facta, an æquiparentur.*
2 *Renuntiatio ſucceſſionis metu & vi facta a filia, non officit.*
3 *Metus iuſtus quis dicatur.*
4 *Patris præſentia num metum filiæ renuntianti inferat, & numer.7.*
5 *Iuramentum metu extortum an ſit obligatorium, & de reſtitutione contra illud.*
6 *Peccandum non eſt cuiuſcunque rei metus cauſſa.*
8 *Reuerentia nimia filii vel liberti in patrem & patronum, metum reſciſſorium habet.*

Qvinto, † regula noſtra pacti filiæ de non ſuccedendo, re- 1
quirit renuntiationem, non vi non metu factam. Ex quibus notandum renuntiationem fieri debere a filia facto ipſo. Nam ſi illa promittat ſe renuntiaturam, nec tamen renuntiet, promiſſio non ei nocebit, vt reſpondit Fran. Aretinus *reſpon.148.* Arnol. tamen Ferronus *in §.13.titu.de teſt.in conſue.Burde.per l.ſtipulatio iſta,in princ.de verb.oblig.* exiſtimauit poſt promiſſionem ad faciendam renuntiationem cogi poſſe, ſecundum Bald. *in l.pactum, C.de coll.* Ceterum, idem Ferro. *§.14.* putat renuntiationem factam per maritum nomine vxoris filiæ non valere: cum non conueniat renuntiationem extendi a perſonis ad perſonas, *l.iuriſgentium,§.ante omnia,de pact.P.ti.res int.alios act.C.* in earum præiudicium, cum nec incommodum fiat abſentis ſtipulatio, *l. ſtipulatio iſta §.alte.& §.ſtipulatio,de verbo.obl.§.ſi quis alii,de inuti.ſtip.* ¶ Metus † porro & vis, ab hoc actu abeſſe debent, *d.cap.* 2
*quamuis pactum*, quemadmodum ab omnibus actibus legitimis voluntatis, vt ex edicto prætoris, Quod met.cauſſa plenius edocemur. Et quemadmodum dos promiſſa vel data per metum, reuocatur, *l.ſi mulier,§.ſi mulier,quod met.cau.P.* ſic & per metum eiuratio in ea dote non valet. ¶ Metus † iuſtus intelligitur, qui pe- 3
riculum vitæ, aut corporis cruciatum continet *l.interpoſitas,C.de tranſ.l.3.§.1.de eo quod met.cau.P.l.4.C.eo.l.metus autem cauſſa,ex quib.cauſ.maio.in P.* facultatum omnium iacturam, ni aliquid fieret, qui & actum reuocat, *ca.abbas 2.de iure,c.presbyteros,50.diſtin.c.ſi.22.q.2.* ¶ Metum † iuſtum filiæ renuntianti non infert 4
præſentia patris quia hic metus paternus vim non habet: & ideo non ſubiicitur edicto, *in l.1.quod met.cau.P.* Nec ſolus etiam patris iuſſus metum habet, *Bar.in l.1.§.quæ onerandæ qua.rer.act.non dat.quamuis gl.ibi repugnet,improb.a Bart.in c.ad inuidiam,C. quod met.cau.per Doct.in l.interpoſitas,C.de tranſ.* Quinimo proximorum & parentum præſentia, fraudis ſuſpicionem tollit, *l. tranſactionem,35.C.d.de tranſ.l.1.de iis qui per me.iudi.non app.P.* Quod ſi filia inde metum ſibi prætexat, non habetur ratio eius metus, quem quiſque ſibi temere infert, *l.ſi mulier,quod me.cauſ. P.c.inter cetera,22.q.4.* Et quæ habet arbitriũ in electione ꝓpoſiti, non cogitur ſequi patris voluntatẽ. *c.cum virũ,de reg.* Neq; ea excuſatio ꝓdeſt filio ſe ſubſcribẽti in facto patris & ſuo, quo minus obligetur, in ſpecie *l.fideiuſſor,§.pater Seii,de fideiuſ.* Probatur & idipſum a matrimonio, quod liberũ eſſe debet, *c.requiſiuit,c. gemma,c.cum locum,de ſponſa.* & nihilominus non ideo minus liberum dicitur, quod patris iuſſu & imperio factum a filia filiove fuerit, *l.pen.& fi.C.eod.c.1.de deſpon.impub.* Atque textus *c.quamuis,de pact.in ſex.* non ideo pactum infirmat, quod cum patre a filia factum eſt, ſed aliunde vt improbetur, metum & vim probari iubet. Veruntamen ſi pater durus ſit, & verberibus præcedentibus, vel metu alio extorſiſſe conſenſum a filia probetur, nihil eſt quod præſentiam patris metum inferre prohibeat, & eo magis quo filia bene morata eſt, quæ matrem metuit exaſperare. Et quamuis communi calculo receptum ſit interpretum, iuramentum metu extortum eſſe obligatorium, eo quod metus non excludat conſenſum, *c.ad audientiam,de iureiur.vt in c.merito,15. quæ.1.in l.ſi mulieri,quod met.cauſ.in P.gl.in c.abbas,eo.ap.Greg.late in ca.auctoritatem,15.q.6.* poteſt tamen peti abſolutio ſeu gratia iuramenti, *d.c.auctoritatem,& c.2.& c.ſi vero,de iureiur.* Non tamen reſtitutio, quia aduerſus iuramentum per ſe factum non impetratur reſtitutio. Sed abſolutio, *Panor.in c.2.num.2.per illum tex.de iureiu.* etſi quando pro alio iuratur, reſtitutio detur, *Pan. in d.c.2.& l.nam & poſtea,§.ſi minor,de iureiur.P.* ¶ Et † quamuis 5
iuramentum metu & vi extortum, iure recte non obliget: tamen ad maiorem cautelam, quia multis vinculis iuramentum iurantem conſtringit, abſolutio petenda eſt de facto ab epiſcopo, *c.2. & ibi gl.& c.petitio,eo.* Et iudex laicus poteſt ideo cogere turpiter extorquentem iuramentum, illud relaxare ſeu remittere, *Federi. conſ.164.Panorm.in c.2.nu.3.de vſur.* Quemadmodum cum opus eſt, idem cogit & iuramentum ſeruare iurantem, *in c.licet,de iureiur.in 6.c.fin.de fo.comp.in 6.* ¶ Sic † rigore vltimo iuris perpen- 6
ſa virtute iuramenti, iuramentum quod poteſt ſeruari ſine interitu ſalutis æternæ, non habita ratione alterius, ſeruandum eſſet, etſi metu fiat. *c.ſi aliquid,22.q.4.* quia etiam metu impellente, peccatum mortale nemo committere vel peierare debet, *c. pactiones,de pact.c.quamuis,eo.in 6.* Expedit enim potius quælibet pati quam malo conſentire, *c.ita ne,32.q.5.* & melius pro veritate pati ſupplicium, quam pro adulatione conſequi beneficium, *c. quiſquis veritatem,& c.nemo peritorum,11.q.1.* Et voluntas coacta, voluntas eſt, *c.merito quæritur,15.q.1.* Sed ſi aliarum circumſtan-

tiarum iuramenti perpendamus cauſſas, vt puta iudicium & iuſtitiam, quæ interuenire debent, *c.& ſi Chriſtus, de iureiu.cum ſimil.* & tamen non adſunt in hoc pacto iurato filiæ & patris, rectiſſime gratiam fieri temerarii iuramenti dicemus. ¶ Proinde
7 ſi † conſtat ipſo facto, filiam fuiſſe deceptam, tunc vel ſola præſentia patris arguit metum, *l.cum virum, de regula. cap. cum dilectus, de iis quæ vi metuſve cauſ.fi.ſum.a contr.ſen.* qui dedit cauſſam contractui, & nullũ conſequenter reddidit, *l. & eleganter, de dol. P.* pariter & acceſſorium iuramentum, *c. acceſſorium, de reg.iur. in 6.* Ne quod vna via prohibitum eſt directo per obliquum in fraudem legis probetur, *c.prudentiam, & ca.præterea, de offi.deleg. l.oratio, de ſponſa. P.* Et ita etiam Federicus *con.194. incip. quæritur, an domina Margarita*, reſtringit deciſionem ca. quamuis pactum, in filia enormiter, id eſt, præter modum læſa, vt ex eo, quãuis non probentur a patre interuenientes minæ vel verbera, metu præſumatur contractum & iuratum. Quem ſequitur An-
8 charanus *ad regul. acceſſorium, in 6.* ¶ Reſponſum † & in iure eſt, ſolam & nimiam reuerentiam liberti (qui ſimilis in obſequiis filiis eſt) *vt conſtat ex tit. de obſeq. a liber. & li. par. & patro. præſt.* ſi probentur liquido improbare promiſſionem ab eo patrono factam, *l.1.§.quæ oneranda, quar.rer.act.non da.*

## De Iuramento, quod in renuntiatione ſucceſſionis interuenit, & de Gratia eiuſdem. Cap. 15.

1 *Iuramentum promiſſorium ſeruandum, quare.*
2 *Iuramenti renuntiationis a filia facta an dari poſſit abſolutio, & ſeq.*
3 *Omnino, verbum quid contineat.*
4 *Renuntiatio filiæ dote contenta ex quibus cauſſis iuramento non obſtante reſcindatur.*

1 SVmmus † Pontifex in c.quamuis pactum, ſexto loco vim maiorem pacti renuntiationis filiæ conſtituit in iuramento. Quod maius habet vinculum obligationis, veluti cum Deo promiſſione facta, *l.2.de reb.cred.C.ca.etſi Chriſtus, de iureiur.* & cum ſcriptum ſit, *non peierabis, reddes Deo iuramenta tua, Exo.20. Leui. 29.* Proinde ſeruanda quæ iurata ſeruari poſſunt ſine detrimento ſalutis æternæ, *ca. quamuis, de pac. in 6. ca. cum dilectus, de his quæ vi met.cau.* etſi damnum temporale immineat: plus eſt enim anima, quam corpus, *l.ſancimus nemini,* 17. *de ſacroſan.eccle.C.D. Matth.c.6.* Satagit & eccleſia ſacroſancta iuramenta ſeruari, *c. mulieri, c.ex literis, in ca.de iureiur. ca.cum contingat, eo.c.licet, eod. in 6.* item & lex ciuilis, *auth. ſacramenta puberum, ſi aduerſ.vend.l. fin. vt iuriſiurandi, de oper.lib.P.l.qui iuraſſe, de iureiu.in P.* Neque periuriis via aperiẽda eſt, *ca. cum dilectus, de his quæ vi me.cauſſ.fi. iuncta gl. quæ ſimilia citat l.2.C.de ind.vid.tol.* Et gratia non niſi ex maxima cauſſa fieri poteſt: cum id quod expreſſe Deus per ſe vel per prophetas ſancit, non poſſit a legiſlatore alio tolli vel mutari, *ca.ſunt quædam, 25.q.1.§.ſed naturalia, de iur.na.gen. & ciui.* Et quod ſuperior admittit, inferior non poteſt infirmare, *§.interim, de defenſo.ciuit.in auth.c.cum inferior, de maio. & obed.* Item iuramentum ſpiritualis res eſt: ideo neque per leges ciuiles, contrarias, aut per ſtatuta poteſt reſtringi, *cap.decernimus, de iud. c.cum ad verum, ad ca.ſatis euidenter, 96.diſt.* Poſſunt ad confirmationem iſtius iuramenti alia plura conferri, quæ tractabimus Deo fauente proprio loco de iuramento, in probationibus iu-
2 dicialibus, quæ non referam. ¶ Sed † interim explorabimus, num ab hoc iuramento renuntiationis, filia abſolutionem poſſit petere. Et melior viſa eſt opinio eorum qui negant: quam pluribus rationibus firmat Georgius Natha, *in Rep. c. quamuis,*
3 *colum.* 14. ¶ 1. Quia † textus *c.quamuis*, tradit omnino iuramentum eſſe ſeruandum: verbum autem, *omnino*, impedit omnem opem & remedium exceptionis, *gl.in c.fin.de off. & pot. iudi delega. in 6.in verb.omnino, glo.in clem.1. in verb.omnino, de vit. & hon.cler.* Et verba generaliter prolata, generaliter ſunt intelligenda, *l.ſi ſeruitus, de ſeruit.vrb.præd.l.1.§.pen.de alea luſ.& aleat.* & affirmatiua omnino, omne, totum includens nihil excipit, *l. Iulianus, de leg.3.l.baliſta, ad Trebell. P.* Quemadmodum contraria negatiua vox nullo modo negat generaliter, & ideo prohibet diſpenſationem, *glo.in clem.vt hiſt.in verb.nullo modo, de vit. & hon.cler.* 2. Cumque verba ſint intelligenda cum effectu, & vt aliquid operentur, *c.relatum, de cler.non reg.l.3.§.hæc verba, de neg.geſt.l.ſi quãdo, de le.1.* excludenda eſt diſpenſatio. Alioquin verba, quæ de iuramento appoſita ſunt in c. quamuis eſſent perperam appoſita, cum illud diſpenſatione eludatur. 3. Auth.ſacramenta puberum, ſi aduer. vend. C. ait irreuocabiliter ſacramenta puberum & iurata pacta eorum obſeruanda eſſe. Item Innocentius 3. reſcripſit, nec iuramentum per ſummum pontificem remitti poſſe in præiudicium alterius, ſine legitima cauſſa, *Inno.in c.inter, de renuntiat.gl.& doct.in c.quanto, de iureiu.5. in ca.auctoritate, 15.q.6.* Quia inquit Panor. *conſ.12.1.vol.* iuramentum eſt de iure diuino, *ca.etſi Chriſtus, de iureiu.* ¶ Cauſſam † tamen legitimam ad reſcinden- 4
dam remiſſionem iuratam putant, læſionem filiæ vel minorem ætatem, ex quibus poſſe dari abſolutionem iuramenti arbitrantur, *Panor.conſi.12.circa fi.1.volu. Ancha.in c. canonum ſtatuta, in 11. arti.princ.de conſt. Iaſon in auth.ſacramenta puberum, ſi aduer.vend. 9.& 10. col.quamuis Anch.ſit ſibi contrarius in conſ.433.* Et ita etiam iudicatur, vt abſolutione iuramenti petita, læſa enormiter, id eſt, ſupra dimidiam partem legitimæ debitæ, reſtituatur in integrum, *iuxta l.fin. iuncta glo. in ver. ex magna cau. qui & aduerſ. quos in integ.reſtit.non pet. lib.2. C.tit.42.l.ſi ſuperſtite, de dol. C.& l. 2.C.de reſcin.vendi.* Et ita Bartholom. Chaſſanæus *ad §.12. verſ.ſed poſito, & ſeq. de teſtam.in conſuet. Burg.* quoque probat. Quia immodica læſio concludit dolum præſumtum, *arg. l. omnes quæ in frau.creditor.§.Lucius, mand.P.l.qui teſtamentum, de proba.l.ſi quis cum aliter, de ver.obl.* Neque hic adferenda in contrarium præſumtio, per quam non putatur patrem voluiſſe fraudare filiam, propter propenſum ſingularemque animum & amorem in liberos, *l.conſilio de curat.furio.l.iſti quidem, quod met.cau.P.* Nam præſumtio eliditur, vbi veritas contraria apparet, *l. cum de indebito, de probat. in P.* Accedit, quod is qui ex beneficio legis aut conſuetudinis heres eſt, vndique ſuum ius imminutum habere debet, *argu.l.ſi patronum, de bo.libert.P.* Quinimo qui contentus accepto ſucceſſioni renuntiauit, poteſt nihilominus legitimæ petere ſupplementum, *l.ſi quando, §.generaliter, & ibi Iaſo. & l.heres inſtituta, de inof.teſtam. C.* Quemadmodum ſi filia dote contenta excludatur per ſtatutum a ſucceſſione, poteſt petere ſupplementum legitimæ, ſi minus idoneam dotem accepit a patre. Et Socinus conſ. 150. citat quinquaginta Doctores, qui pro hac ſententia conſuluerunt: atque ſecundum hanc iudicatum ſæpe refert Chaſſanæus *ad §.12.de ſucce.ad ver. ne retourne, verſ.in contrarium tamen, in conſue. Bur.* Quia dos debetur in locum legitimæ, *l. quoniam nouella, de ineffi.teſta. C.* & legitimæ ſupplementum proculdubio peti poteſt, *l. omnimodo, & l. cum ſcimus, eod.* quanquam Socinus in prædicto loco referat 20. Doctores in contrariam ſententiam declinaſſe.

## De Superuiuentia filiæ patri poſt pactum. Cap. 16.

1 *Filia renuntiante, an nepos ex ea admittatur ad petitionem ſucceſsionis aui.*
2 *Iuramentum quando obliget heredes iurantis.*
3 *Nepotes non obſtante renuntiatione matris ſuccedere poſſunt aui ex propria perſona.*
4 *Filia, quæ renuntiauit ſucceſſioni, dote accepta, nõ poteſt præterita experiri contra teſtamentum patris quare.*

SEptimo † loco, axioma noſtrum renuntiationis validæ exigit, 1
vt filia ſuperuiuat patri. Nec plane quæſtio eſt infrugifera, an nepos excluſa filia per renuntiationem, ab aui bonis quoque excludatur. Et Bal. & Salyc. in l.maximum vitium, de lib.præter.C. excludi putant. Bar. *in l.2. ad Tertullia. in l.liberorum, de ver.ſign. Soc.conſi.31.col.2.verſ.tertio probatur.* Cynus *in l.1. quæ ſit lon.con.C.* & alii quos recenſet Arnol. Ferronus *ad §.12.de teſta.in conſ.Burdeg.* quam ſententiam Ferronus ſequitur, non adhibita diſtinctione, an patri ſuperuixerit, vel moriatur filia. Quia excluſa filia, cenſeantur excluſi eius liberi, vt bona remaneant in familia & nomine maiorum, & nepos vocatur ex perſona patris, *§.neque illo, de trien.& ſem.in auth.* Sunt tamen aliqui, qui nepotem admiſerunt, præmortua viuenti auo filia, quos refert Bald. *in l.maximum vitium, C.de lib.præter. Bar. in l.qui ſuperſtitis, de acquir.hered.& Sylua conſ.108.* admittit *Bald.conſ.1.lib.2.* & Peruſinus *in d.l. de quibus, de legib P.* & Franc. a Ripa, *lib.2.reſpon.reſpon.6.* Tractatur hæc quæſtio ab Aretino, Baldo, Decio, Caſtr. *in l.pactum, de collatio. C.* a Salyceto, *in l.pactum, C.de pact.* & per alios citatos per Ferronum *ad §.13.de teſtam.in conſuet.Burdeg.* Sed verior eſt ſententia prior: quia iuramentum a matre præſtitum nõ debet nocere filiis, *ca.cum contingat, in fine iuncta gl.de iureiur.*
¶ Et † quamuis iure communi pactum tranſeat ad heredes 2
in temporalibus, *in leg. veteres, de contrahenda ſtipulatione, Cod.* tamen iuramentum matris non poteſt filios obligare, vt non poſſint ex ſua perſona ſuccedere, *arg.ca.1.de deſp.impub.in 6.* obli-

obligat enim iuramentum animam iurantis, & nō eius qui con-
ſenſit, *ca vni, 30. q. 2.* Nec poteſt heres conueniri ex iuramento
defuncti, *c. fin. de foro compe. in 6.* Et ſemper iuramentum ex parte
iurantis eſt perſonale, ex parte autem eius cui iuratur, interdum
reale, interdum perſonale, *Panor. in c. veritatis, num. 3. de iureiur.*
quamuis quis iurauerit pro ſe & heredibus, *Felin. in c. cum ſit ge-*
3 *nerale, colum. 6. de for. comp.* ¶ Ceterū † tutius erit vti diſtinctio-
ne Guid. Papæ: aut liberi veniunt ex perſona propria, & tūc poſ-
ſunt petere aui legitimam non obſtante renuntiatione matris:
aut veniunt vt heredes matris, & tunc non poſſunt petere, *Guid.*
4 *Pap. q. 227. num. 2.* ¶ Quod † ſi pater præmoriatur filiæ, tam va-
lida eſt renuntiatio ſuperioribus circumſtantiis vallata, vt teſta-
mentum patris, in quo ea eſt præterita quæ renuntiauit, non
poſſit ratione præteritionis per eam dici nullum, *Bart. in l. Gal-*
*lus Aquilius, §. quid ſi tantum, de li. & poſthum. Chaſſ. ad §. 12. ad*
*verb. ne retourne point, verſ. & hac ſit, des ſucceſſions, in conſu. Burg.*
*Paul. Caſtr. in conſi. 214. incip. ſi dicta domina, & conſi. 5.* Etenim
tali filiæ præteritæ non debetur legitima, *Bal. in l. maximum vi-*
*tium, de lib. præter. C.* quia per renuntiationē omnino filia ſe alie-
nam a ſucceſſione fecit, *Pet. Iacob. in tit. de condit. ex l. omnimodo,*
*& Guid. Pap. q. 295. & 598.* Et videtur ſub renuntiatione gene-
rali & iuramento omnis modus ſuccedendi repudiatus. Neque
ne potes viuente matre, ſed ea præmortua, aui teſtamentum, in
quo nihil illis relictum eſt, poſſunt dicere nullum, *Guid. Pap. in*
*d. quæſt. 598. num. 2. Petr. Iac. de condict. ex leg. omnimodo, ex te-*
*ſtamento cumulata, verſic. ſed nunquid filius, videndus, Bald. ad l. fi.*
*C. de pact. Bar. ad l. qui ſuperſtitis, de acquir. hered.*

## Notabiles caſus, in quibus Filia dote contenta non obſtante renuntiatione ſuccedere poteſt. Cap. 17.

1 *Filia dotata renuntians paternis, ſuccedit maternis, niſi eis quo-*
*que renuntiet.*

2 *Filia, quæ renuntiauit ſucceſſioni, poteſt ſuccedere patri vel ma-*
*tri conuolanti ad ſecundas nuptias in lucris prioris matrimo-*
*nii: item ſublatis iis, in quorum fauorem excluſa erat: item ſi*
*extraneus ſit heres, vel non exſtante maſculo in eodem gradu:*
*nec excluditur per legitimatum: ſuccedit item ſi inſtituta a*
*patre, niſi ſtatuto excludatur dotata. Succedit & fraternis, ni-*
*ſi eorum ſucceſſioni quoque renuntiauerit. nu. 3. 4. 5. 6. 7. & 9.*

8 *Donari cauſſa mortis a patre poteſt filia dotata a ſucceſſione per*
*ſtatutum excluſa.*

10 *Legitimæ ſupplementum petere filia poteſt non obſtante renuntia-*
*tione, & ſi læſa, & metu renuntiauit.*

1 EXplicito † axiomate renuntiationis, quæ reiicit filiam re-
nuntiantem a petitione ſucceſſionis: operæpretium eſt, vt
exceptiones adiiciamus, & caſus tradamus, in quibus non ob-
ſtante renuntiatione ſuccedit. Primum itaque filia a patre do-
tata, a matris ſucceſſione non repellitur: quia cenſetur tantum
dotata ex bonis paternis, *Accurſ. Paul. Caſtr. Bald. P. Corneus, in*
*l. 1. de leg. hered.* niſi ab vtroque ſit dotata & nominatim renun-
2 tiauerit paternis & maternis. ¶ 2. Filia † quæ bonis paternis &
maternis renuntiauit, ſi poſtea pater vel mater altero parentum
eorum decedente ſuperſtes conuolauerit ad ſecundas nuptias,
& ita locus factus ſit leg. fœminæ, & leg. generaliter. de ſecund.
nupt. C. poteſt ſuccedere non obſtante pacto, in lucris illis, quæ
habebat ille vel illa, pater vel mater conuolans ad ſecundas nu-
ptias ex bonis prioris præmortui coniugis, & quę tenetur relin-
quere liberis prioris matrimonii, *Alexan. Immo. conſi. 39. Deci.*
*conſi. 579. Rom. conſi. 485. Ferren. ad tit. de teſt. §. 16. in conſuet. Bur-*
*deg.* Quia hoc ius illi quæſitum eſt poſt renuntiationem, & pro-
inde ea non extenditur ad illud, *l. 2. de ſtat. lib. P. l. Aurelius, §. te-*
*ſtamento, de li. agnoſ. P.* Item lucra repetentis ſecundum thorum
exſtantibus ex priore liberis, deferuntur ad liberos, nō vt ad he-
redes, ſed tanquam filiis. *Auth. heres, de ſec. nupt. C.* Et ſic etiam
concludunt Oldradus, *conſi. 194.* & Guid. Pap. *deciſ. 228.* Decius,
*conſi. 399.* Salycetus, *ad l. generaliter, §. illud, de ſe. nupt.* & Ferronus,
*in d. §. 16.* Sed neque filia renuntiando de hoc caſu cogitauit: id-
eo ad eum non extenditur renuntiatio, *l. mater, C. de inoffi. teſta.*
aut iuramentum, *in fin. C. de non num. pec. & l. fin. qui ſatiſd. cog. P.*
Et ita iudicatum notat Guido Pap. *d. dec. 228. arg. l. hac conſultiſ-*
3 *ſima, §. ex imperfecto. de teſtam.* ¶ 3. Si † in fauorem fratrum & a-
gnatorum, filia dotata excludatur ſtatuto a ſucceſſione patris, &
mortui fratres vel agnati ſint, neque alii ex illis ſuperſint, poteſt
non obſtante renuntiatione ſuccedere & hereditatem petere.
¶ Item † ſi heres extraneus ſit inſtitutus, poteſt ſupplementum 4
petere: quia priuilegium excludendi filias agnatis datum, non
eſt exteris communicandum, *l. ſi modica, §. & ſi filius, de bon. libe.*
Quamuis exſtent agnati, ſed inſtitutus ſit extraneus. Quia paria
ſunt, agnatos non eſſe, vel non ſuccedere. *Pau. Caſtrenſ. conſ. 348.*
*Ioan. Imol. in l. Gallus Aquil. §. & quid ſi tantum, de lib. & poſthu.*
¶ 4 Statutum, † quo filia dotata excluditur, intelligitur exſtante 5
herede maſculo eiuſdem gradus, cuius eſt filia non de inferiori,
vt neque filia excludatur per neptem ex filio fœminam, ſecun-
dum Paul. Caſtrenſem, *conſi. 47. vol. 1.* De quo tamen dubitat
Ferronus, *ad §. 14. de teſt.* Sed firmat Chaſſanæus, *ad §. 12. & ad*
*ver. ou enfans mas les. verſ. & iſtud dicit, tit. des ſucceſsions, in conſu.*
*Burg.* quia incluſio maſculi excludit fœminam, *c. nonne bene dici-*
*mus, de præſumt.* nec credendum eſt ſtatutum vel patrem voluiſſe
neptem filiæ pręponi, *l. ſi viua matre, C. de bon. matr.* Niſi filius
qui neptem reliquit, adierit antequam moreretur hereditatem
patris mortui: nam proculdubio transfert ius quæſitū in filiam
propriam, vt proprium patrimonium patris non vt aui. ¶ 5. Fi- 6
lia dotata excluſa per ſtatutum, non excluditur per filium legiti-
matum ſolummodo, *Soc. conſi. 246. vol. 2. Bald. & Barb. in l. cum*
*antiquiſsimi, C. de fideicom. multa Præpoſi. ad c. per venerabilem, qui*
*fi. ſint legi. Ferro. ad d. §. 14.* ¶ 6. Filia † renuntians pacto patri & 7
fratribus, ea non obſtante renuntiatione poteſt ſuccedere, ſi a
patre inſtituatur, *Felin. in c. ſi diligenti, colum. penul. de for. compet.*
*Iaſ. in l. fin. 7. col. de pact. C. vbi reſpondet ad rationem, quod ius vi-*
*deretur fratribus quæſitum. Idem Iaſ. in l. ſtipulatio hoc modo con-*
*cepta, de verb. oblig. & ibi Bart. Alex. Aret. Ioan. Imol. facit text. in*
*c. 2. de renuntiat. in 6.* Quia pater inſtituendo, & iuramentum, &
pactum remittere videtur, quod facere poteſt, *c. præterea, de ſpon.*
alioquin adimeretur diſponendi libera facultas, *contra l. ſi fratres,*
*§. idem reſpondet, pro ſoc. P.* Et hic fauor pręfertur fauori filiorum
maſculorum, *l. 1. de ſacroſan. eccleſ.* eiuſque eſt legem tollere, cu-
ius eſt condere, *l. 1. & fi. C. de legi.* ¶ Et † licet volentibus contra- 8
hentibus a contractu diſcedere, *l. ab emtione, de pact. P. l. 1. quan.*
*lic. ab emt. diſc. C.* Ceterum, ſi ſtatuto filia dotata a ſucceſſione pa-
tris excludatur, ea ex teſtamento patris, vel nomine heredis ca-
pere non poteſt. Quia iam quæſitum eſt ius fratribus, imo nec
ſubſtitui per fideicommiſſum poteſt fratri, *Chaſſa. ad §. 12. des*
*ſucceſſions, in ver. Et n' entend non point. num. 6. vbi alios citat aucto-*
*res ſententiæ,* quia heres fideicommiſſarius habere videtur, non
ab inſtituto, ſed ex teſtamento inſtituentis, *l. cohæredi, §. cum fi-*
*liæ, de vulg. l. ſi is qui, eod. P.* Veruntamen placuit, mortis cauſſa
donatione, ſine Titulo hereditario, etiam in hac ſtatutaria pro-
hibitione, poſſe patrē filiæ donare, & ita pluribus probat Chaſ-
ſanæus, & aduerſarias rationes plures diſſoluit, *Chaſſa. ad d. §. &*
*ad ver. ne autre donation, n. 12. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & ſeq.* ¶ 7. Per † renūtia- 9
tionem hanc dote accepta, filia non excluditur a ſucceſſione fra-
trum & ſi bona a patre proceſſerint, niſi & frater ſucceſſioni ex-
preſſe renuntiauerit, *idem eod. ad ver. Et n' enten. Iaſon, in leg. eius*
*qui §. ſi ſtipulatus, in 5. col. ſi cert. peta. P.* Quia hereditas paterna
poſtquam adita eſt a fratribus, non amplius hereditas, ſed eorum
patrimonium eſt, *l. ſed ſi plures, §. filio, de vulga. P. l. 1. §. Præterea,*
*de ſepara. l. Titii teſtamento, de iis quib. vt indig. cum ſimil.* Et ita
conſuluit Ludouic. Roman. *conſi. 168. in 1. dubio.* Et Franc. Aret.
*conſi. 161. colum. 2.* ¶ Poſtremo † filia non obſtante renuntiatio- 10
ne ſuccedit patri, ſi de ſupplemento agat legitimæ, de dolo, de
deceptione: vt ſuperioribus capitibus iam expoſitum eſt, *ſup. ca.*
*14. num. 2. & ſeq. & c. 15. num. 4.*

## De ſecunda ſpecie Acquiſitionis ſucceſsionis per epiſtolam. Cap. 18.

1 *Donatio per epiſtolam & nuntium fieri poteſt.*

2 Lettres de creance *fidem faciunt inter mercatores.*

3 *Heredibus directo alia voluntate quam teſtamentaria relinqui*
*non poteſt, per fideicommiſſum contra.*

INter † ſpecies donationis non ambigitur eſſe validam eam, 1
quæ vel per epiſtolam, *gloſſ. 1. in leg. non ambigi, C. de donat.* vel
per nuntium ſpeciali mandato fit, *Guid. Pap. deciſ. 212. num. 2.*
nam & per epiſtolam quæri obligationē reſponſum eſt, *in leg.*
*final. §. final. de actio. P. Pap. leg. publica. 26. § primo, depoſit.* ha-
bita ratione perſonarum & negotiorum, & dummodo conſtet
de ea epiſtola, & quis eam miſerit. Sic enim ſolus conſenſus exi-
gitur, nec valde deſideratur, vt dies vel cōſul, vel ſubſcriptio ad-

ſit, vt reſpondit Scæuola, l. cum tabernam 34. §. 1. de pignor. ſatis
eſt, ſi epiſtolæ fuerint alicui præſentatæ cui diriguntur & acce-
ptatæ, non aliter, Bart. in d. l. cum tabernam §. 1. Boer. conſi. 25 nu.
18. & 30. Et quamuis in præiudicium alterius, vel veritatis nõ fa-
ciant fidem epiſtolæ, l non epiſtolis, cum l. ſequ. C. de probatio. l. epi-
ſtola, in præ. de pact. tamen in præiudicium ſcribentis, & ad vtili-
tatem eius cui mittuntur, & fidem faciunt & obligationem, Za-
2 barella, conſi. 153. verſ. item quod dictis. ¶ Potiſſimum † ſi agatur
de conuentionibus, quæ ſolent conſenſu tantum perfici. & quæ
inter abſentes fieri poſſunt, l. 1. mand. P. maxime inter negotia-
tores, inter quos epiſtolæ, quas vocant, lettres de creance, fidem
3 faciunt, vt in d. l. cum tabernam, §. 1. & d. l. publica, §. 1. ¶ Ita † li-
teræ argentariorum ſeu banchariorum faciunt plenam fidem,
etiam apud omnes. Bart. in l. 2. §. diuus, de iure fiſ. 334. num. 8. ad-
de l. quædam ſunt perſonæ, l. 9. §. fin. & l. argentarius, 10. de eden. P.
Proinde recte dubitatur, num voluntatem ſuam inſtituendi ali-
quem heredem epiſtola quis ſignificare poſſit, vt ex ea petatur
hereditas. Et certe placuit nulla alia voluntate, quam teſtamen-
taria: directe hereditatem relinqui poſſe: per fideicommiſſum,
vel per legatum poſſe, l. 2. C. de codicill. in l. non codicillum, C. de
teſt. cum ſimilib. ibi not. Et idcirco reſcripſerunt Dioclet. & Ma-
ximi. in hæc verba, l. & in epiſt. 22. de fideic. C. Et in epiſtola, vel li-
bello, vel ſine ſcriptura, imo etiam nutu, fideicommiſſum relinqui poſ-
ſe, adhibitis teſtibus, nulla dubitatio eſt. Et donatum in ea epiſtola,
etiam quã qui donauit voluit aperiri poſt mortẽ tantum ſuam,
tranſit in fideicommiſſum, & debetur ab herede, l. miles ad ſoro-
rem 77. de legat. 2. Quod intelligendum eſt, ſi quinque teſtibus
præſentibus fuerit perſcripta epiſtola, non aliter, quia omnis vl-
tima voluntas ſaltẽ quinq; teſtium teſtimonio eget, l. 1. & l. fin. §.
ſi. de codic. C. excepto teſtamento, quod plures poſtulat, l. hac
conſultiſſima, & l. in teſtamentis, C. de
teſtam.

# DE TESTAMENTARIA SVCCESSIONE. LIBER XLII.

## Cur prius de teſtamentaria, quam inteſtati ſucceſſione dicamus. Cap. 1.

1 Teſtamentariæ ſucceſſionis materia cur præponatur quæſtioni ſucceſſionis ab inteſtato. & ſeq.
2 Teſtandi facultas quare conceſſa, & 3.
4 Inſtitutionis titulus honori tribuitur etiam liberis.
5 Teſtandi voluntatem quæ improbare videntur, diſſoluta, & ſeq.
7 Heredes ab inteſtato & ex teſtamento quibus iuribus vocentur ad hereditatem.
8 Teſtamentaria ſucceſſio ex lege etiam defertur.
9 Iuſta hereditas quare ab inteſtato dicitur in ſocietate.
10 Succeſſio certa quæ dici poſſit.
11 Ab inteſtato venientes poſſunt vocari ex teſtamento, ſi velint.
12 Sobolem ſuam poteſt quis poſtponere alienæ ſi velit, ſed non præſumitur.
13 Vulgaris expreſſa non excludit matrem.
14 Diſpoſitio legis, quomodo fortior diſpoſitione hominis.
15 Teſtamentaria ſucceſſio, intelligenda eſt ex teſtamento ſubſiſtente.

1 QVanquam † antiquior ſuccedendi ab inteſtato
cauſſa quibuſdam viſa ſit, quam teſtamentaria:
tamen rectius facturum me exiſtimo, ſi de hac
quam de illa prius dixerim. Primum, quia ſuc-
cedentes ex teſtamento præferuntur vocatis ab
inteſtato l. quamdiu 2. de acq. hered. P. l. quamdiu, de regul. iur. l.
antequam, comm. de ſucceſ. l. 1. de bon. poſſeſſ. ſec. tab. P. Succeſſio
quippe legitima ſeu ab inteſtato, ſubſidiaria eſt, quando mor-
tuus non expreſſit de ſucceſſore voluntatem. Quare prouiſio
hominis, tollit prouiſionem legis, l. maritus, de procur. C. l. fin.
C. de pact. conuen. Ita tutores datitii & legitimi vincuntur per te-
ſtamentarios. l. ſi tutores, de teſtam. tute auth. vt lic. matri & auiæ,
2 C. quan. mat. offic. tut. fungi pot. ¶ Secunda ratio, † quia Reipubl.
intereſt, cuique permitti de rebus ſuis liberam diſpoſitionem,
vt poſſimus ſaltem morituri beneficia illis rependere, a quibus
viuendo accepimus. Et ideo reſponſum, hereditates ob bene-
merita deferri, l. nec adiecit pro ſoc. P. qui ad remunerationem na-
tura tenemur, Cle ſed & ſi lege §. conſuluit. de petit. hered. Sicque
adſtipulatur alia naturalis æquitas cui conuenit maxime, volun-
tatem domini rem ſuam in alium transferre volentis, ratam ha-
beri, § per traditionem, de rer. diuiſ. Vt enim viuentium volunta-
tes admittuntur, ſic & mortuorum, §. fin. de leg. fuſ. Can. toll. ¶ Et
3 Plutarch † de legibus Solonis loquens. Plut. in Solo. Cũ, inquit,
is permiſiſſet, pro voluntate cuiuſq; ni ſupereſſent filii heredẽ conſtitui,
viſus eſt amicitiã propinquitati, & gratiam neceſſitati præferre. Ter-
tia ratio prior debet eſſe cauſſa teſtamenti, vt per poteſtatem il-
lam bonorum noſtrorum diſtribuendorum nobis conceſſam,
gratos & officioſos in nos reddamus plures, qui ſpe quippiam a-
liquando a nobis accipiendi, nobis promtius operam ſuã & au-
xilium ſubminiſtrent. Sic explicat Demoſthenes, in oratione
aduerſus Leptinem his verbis a Græco conuerſis. Mihi vero
videtur, Athenienſes, (ſed quæſo te ne mihi iraſcaris, nam mali de
te nihil dicam) Leptines leges Solonis aut non legiſſe aut non intellexiſ-
ſe. Nam cum legem Solon tulerit, licere cui legitimi liberi non ſint,
quem libitum ſit heredem inſtituere (non vt genere proximos iure pro-
pinquitatis fraudaret: ſed vt vtilitate in medium propoſita efficeret, vt
homines inter ſe certarent beneficiis) tu contra non dubites auctor eſſe,
ne quicquã de ſuis opibus populo liceat aliis impertiri: quomodo quiſ-
quam dixerit te Solonis leges vel legiſſe, vel intellexiſſe? &c.
¶ Et † in iure ciuili, inſtitutionis titulus etiam honori tribui- 4
tur in perſona liberorum, Vlpia. in l. filium, §. ſed etſi portio, de leg.
præſt. lib. 57. P. tit. 5. Et Cic. ad Apuleium ſcribens pro quæſto-
re. Hominem, inquit, probum exiſtimari, qui parentis aut patroni
iudicio, titulo heredis ornatus eſſet. Accedit Theodoſius, in Nouell.
Theodoſii, tit. de teſt. Inuitus, inquit, nemo taceat aut loquatur, vt id
teſtamentum, quod meram teſtantis obtinet voluntatem. Natura
talis eſt hominum, vt quoſdam diligant, alios timeant, aliquorum fi-
dem exiſtiment eligendam, aliis nihil credendum. Et iniquum cer-
te viſum eſt homini ſanę mentis teſtamenti factionem adimere,
Paul. in l. ex facto. de vulga. Communique conſenſu fere omni-
um gentium, hæc licentia teſtandi relicta dominis eſt. ¶ Neque
faceſſit, † quod videatur hæc facultas teſtandi improbanda, eo 5
quod differt effectum voluntatis in tempus quo dominus quis
non eſt, poſt mortem videlicet, qua dominium ſoluitur, vt o-
mnia §. deinceps, de nupt. in auth. collat. 4. & morte tantum con-
firmetur teſtamentum, c. cum Marthæ, de celebr. miſſar. paria-
que ſint aliquid fieri tempore prohibito: & differri in tempus
prohibitum l. quod ſponſæ, de don. ante nup. Siquidem teſtamen-
tum non accipit vim poſt mortem, ſed pendet ex libera diſpo-
nendi voluntate ante mortem conceſſa: quæ, quia libera eſt vſ-
que ad vltimum vitæ ſpiritum l. 4. de adim. lega. P. cum venit vl-
tima periodus, deſinit eſſe ambulatoria quidem, quia aliud vel-
le non datur poſtea, l. 1. C. de ſacroſ. eccl. ſed tunc morte non inci-
pit: ſed quæ antea erat, effectum ſortitur tunc. Valere debet te-
ſtamentum ante mortem, ſed exſecutio poſt mortem fit ab he-
rede, § legatum. de legat. apud Iuſtinia. l. legatum eſt de lega. 2. l. he-
res quoque, de acq. hered. P. l. omnis hereditas, de reg. iuris. Quod
& in ſtipulatione, quæ in tempus mortis effectum reiicit, non
eſt reprobatum l. ſcrupuloſam, de contrah. & cõmit ſtip. C. ¶ Le-
uiſſimum † & illud, quod quidam tuentes communionem re- 6
rum, diſpoſitionem liberam adimunt, nam eadem ratione con-
tractus & dominorum poſſeſſiones extrudi deberent. ¶ † Sed 7
qui putant præferendos venientes ab inteſtato, quod triplici vo-
centur iure, naturæ l. ſi quo bonorum, C. l. 1. C. vnde vir & vxor. di-
uino, Leuit. 25. num. 27. ciuili, l. 1. de ſuis, & leg. here. P. Et funicu-
lus triplex fortior ſit vno, l. re coniunctis, de lega. 3. l. tripli. de verb.
ſign. Cum iure ciuili tantum vocati videantur ex teſtamento in-
ſtituti: non animaduertunt, vocari etiam omnibus iuribus ex
teſtamento inſtitutos. Nam & in iure diuino teſtamentum fece-
runt Abraham, Geneſ. 21. & 25 & Iacob. Geneſ. 48. & 49. Proba-
uit Deus, locutus ad Ezechiam, diſpone domui tuæ, quia morieris
tu, Eſai. 38. 4. Reg. c. 20. Ius gentium dominia etiam diſtribuit, &
libertatem